BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO ROMENSE
31
8 D
25

ELIZABETHAE ANGLIAE REGINAE HAERESIM CALVINIANAM PROPVGNANTIS SAEVISSIMVM IN CATHOLICOS SVI REGNI EDICTVM,

QVOD IN ALIOS QVOQVE REIPVBLICAE Chriſtianæ principes contumelias continet indigniſsimas.

Promulgatum Londini 29. Nouembris. M. D. XCI.

CVM RESPONSIONE AD SINGVLA Capita, qua non tantum ſæuitia & impietas tam iniqui Edicti, ſed mendacia quoque & fraudes & impoſturæ deteguntur & confutantur.

Per D. Andream Philopatrum Presbyterum, ac Theologum Romanum, ex Anglis olim oriundum.

Apocal. 17. Verſ. 6.

Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum IESV.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.
Romæ, Ex Typographia Aloyſij Zannetti. 1593.

TOTIVS EDICTI ET RESPONſionis Summa.

I. PRæfatione aperiuntur veræ cauſæ huius Edicti, & falſæ fictæq. refutantur.

II. Prima ſectione reſpondetur ad Edicti inſcriptionem, & agitur de cauſis & remediis turbationum, & periculorum Reipublicæ Anglicanæ.

III. Secunda reſpondetur ad multiplices Reginæ querelas contra Regem Hiſpaniæ.

IIII. Tertia refutantur criminationes fictæ in eundem Regem, & in Pontificem Romanum, Card. Alanum, alioſq. & defenduntur Seminaria.

V. Quarta defenditur cauſa Martyrum, quos Elizabetha occidit.

VI. Quinta examinantur media & præmunitionum genera, quæ Regina præſcribit, & confutatur noua inquiſitionis forma.

VII. Poſtremò diſcutiuntur nonnullæ Reginæ, & Conſiliariorum eius Inſtructiones ad Commiſſarios pro exequendo Edicto.

PRAEFATIO
AD EDICTVM ET RESPONSIONEM,

Cauſas vtriuſque & argumentum continens.

CVM Angliæ Regina, præteritis menſibus acceſpiſſet, Seminaria catholica iuuentutis Anglicanæ, quæ Rhemis in Gallia, Romæq. inſtituta, Summorum Pontificum ac Regis Hiſpaniarum munificentia ſuſtentantur, non ſolum non extinctum iri, aut labaſcere his bellorum Gallicorum motibus, temporumq. difficultatibus, (quod illa ſperauerat) ſed effloreſcere magis, & maiorem indies operariorum copiam in Anglicanam meſſem, pro inſtituti ſui ratione, immit- Cauſæ veræ huius edicti.

tere, & quod præter hæc duo iam dicta virtutis ac litterarum Catholicarum domicilia tertium quoque repentè in Hiſpania extiterit, Valleſoleti erectum, eiuſdem Regis Catholici pietate ac liberalitate, exarſit vehementer fæmina, iræ non admodum potens, & quorumdam ſuorum ſuaſu, qui has occaſiones præſtolantur, vt eam in Catholicos inflamment magis ac præcipitent, edictum atrox, ſæuum, ac contumelioſum ſtatim meditatur, quod paulo poſt promulgandum dedit, repugnante licet (vti dicitur) non minima ſuorum Conſiliariorum factione.

2 Acuerat quoque mulieri iracundiam, quòd æſtate ſuperiori, duodecim plus minus Sacerdotes Catholici, ex Seminario Hiſpanico emiſſi, Apoſtolico quidem more, ſed habitu (prout opus erat) vario ac diſſimulato, Angliam fuerant ſubingreſſi, inſcia ſane Regina, exploratorumq. manus (Deo duce) præ-

terlapſi, ad opus iam per Regni intima erant diuiſi, antequam rei ſama ad illius aures perueniſſet. Quod cum illa reſciuiſſet, rem interpretata ad ſeditionem pertinere,& ſibi valde timens,ne horum ſuaſu multi fierent Catholici (quòd viri docti ac verbis potentes dicerentur) vindicandam ſe penitus hoc edicto cenſuit.

3 Huc acceſsit, quòd magna ſama iam Angliam peruaſerat de fœdere conſtituto inter Gregorium XIIII. Pontificem Romanum ac Regem Hiſpaniarum Catholicum, pro ferenda ope Catholicis Galliæ, ab impio Biernenſi Principe religionis nomine oppugnatis, iamq. parari magnas vtrinque copias nunciabatur; quod cum Angla intellexiſſet, dupliciter quidem perculſa eſt: primum timore, ne huius rei periculum ad ipſam quoque tandem pertineret, cum plus ſe vtrumque Principem læſiſſe, quàm ceteros omnes bene conſcia ſibi eſſet: deinde etiam cupiditate,

cum enim Biernenſem certiſſime ſtatuiſſet omni ope abs ſe iuuandum eſſe, nec pecuniæ ad eam rē ſatis eſſent in promptu, & multo minus prætextus aliquis extorquendi eas à ſubditis, poſt tot expilationes recentiſsime factas rata eſt, non incommodam hanc ſibi dari occaſionem, qua, dum fingit hæc omnia contra ſe parari, ſuumq. Regnum peti, conſpirationes agitari, exploratores immitti, viros præcipuos decerni ad cædem, fortunas reliquorum deuorari iam Hiſpanorum animis, excidium vltimum vniuerſis imminere, facile exiſtimauit tantum ſe odij conflaturam catholicis, vt eorum bona, iuſtitiæ quadam ſimulatione diripiat, cæteriſq. eum timorem impendentis mali iniecturam, vt ad illud propulſandum non ſegniter fortunas ſuas ſint oblaturi.

4 Hæc ars, hæc Reginæ ac ſuorum fraus, hæ veriſsimæ cauſæ iſtius edicti, quod cum iterum atque iterum attente

perlegiſſem, & non ſolum fraudulentum cernerem ac mendax, ſed crudele etiam, & in omnes Anglicanæ gentis Catholicos (è quibus originem ipſe quoque aliquando duxi) iniquiſsimum plane ac barbarum, & quod minus adhuc ferendum erat, in ipſos quoque præcipuos totius orbis Chriſtiani Principes ac moderatores valde contumelioſum (Pontificem nimirum ac Regem Catholicum, & in alios quicumque horum auctoritatem ſequuntur, vel vt edicti verba contemptim loquuntur, *qui ab iſtis pendent*) nullo modo faciendum videbatur, vt res tantæ improbitatis atque impudentiæ vlterius ſilentio inuolueretur, ſed palam potius ac publice confutaretur.

5 Satis enim ceſſatum iam eſt ab innocentium defenſione ob placandum hoſtem, ſi fieri potuiſſet, ſatis datum tempori, ſatis tributum ſpei, quæ de fœminæ iſtius reſipiſcentia aliquando, ab aliquibus concipiebatur, quam cum illa

quotidie eludat magis, ſcelus ſceleri ne-ctens, ac ſæuitiam crudelitate, nequitiam impietate ſuperans;quid ni tandem eloquamur? quid ni obſiſtamus tam ſceleratæ tyrannidi? quid ni cum præſtantiſſimis viris illis innocentiæ Chriſtianæ defenſoribus, qui primis eccleſiæ tempo rihus, apologijs ſuis, tyrannorum furoribus ſe oppoſuerunt, Ariſtide nimirum, Iuſtino martyre, Anaxagora, Quadrato, Melitone, Theophilo Antiocheno, Tertulliano, Clemente Alexandrino, & alijs nos coniungamus, vt huius impietatis Caluinianæ mendacia, fraudes, & feritatem detegamus, ad vniuerſi orbis Chriſtiani, cum inſtructionem, tum etiam cautelam?

Antiquorũ Patrum exempla.

6 Quidni imitemur ſanctiſsimos viros, ac Patres antiquiſsimos, beatum Hilarium Epiſcopum Pictauienſem, & ſanctum Gregorium Nazianzenum; quorum vterque libere ac grauiter contra ſui temporis Imperatores, qui bonos

perſe-

perſequebantur, ſcripſerunt? primus quidem contra Conſtantium Auguſtum, Arianæ hæreſeos fautorem, qui aliud quaſi agens Catholicos opprimebat; alter vero in Iulianum Apoſtatam, qui à fide deficiens, occultis potius machinationibus inſidijſq. labefactare, quam aperta vi Chriſtianam conſtantiam oppugnare nitebatur.

7 Quæ vtraque malitia ac verſutia hoſtium diſsimulantium atque fallentium hæreticis Anglicanis ineſſe cernitur, non ſola tamen, neque ſimplex, ſed coniuncta cum ea violentia ac tyrannide, quæ apertorum quoque tyrannorum fuit. Non paucos enim Catholicos trucidãt, alios bonis ſpoliant, alios premunt carceribus & vinculis, alios notant ignominia, alios mendacijs & contumelijs onerant, alios tolerant, alijs adulantur, omnia omnibus malitioſe facti, ſed interim ſingula ad commodum ſuum ſemper, & in omnibus, & vbique referentes.

8 Dicam igitur cum magno illo victore hæreticorum Hilario, vt eum meritiſſimo Diuus Hieronymus appellat. dicam, inquam, quod ipſe ſcripſit initio
„ ſui libri in Conſtantium. Tempus ,ane
„ nunc loquendi, quia iam præterijt tem-
„ pus tacendi, vlterius tacere diffidentiæ
„ ſignum non modeſtiæ ratio eſſet, quia
„ non minus periculum eſt ſemper tacuiſſe
„ quam numquam. & infra. Neque im-
„ mature nunc loquor, inquit, qui diu ta-
„ cui,nec ſine modeſtia tacui,qui aliquan-
„ do iam loquor. Et tandem. Non alia
„ mihi nunc cauſa ad dicendum quàm
„ Chriſti eſt, cui hoc debui quod vſque
„ nunc tacui, & cui ex reliquo intelligo
„ me debere, ne taceam. Hanc cum ſilentij, tum ſermonis ac defenſionis ſuæ rationem reddit præſul ſanctiſſimus; quod & ego mihi, in cauſa perſimili,vel prope eadem, munimen quoddam eſſe volui ad eos, qui exiſtimant, contra Reginæ nomen ne os quidem aperiendum

aut

aut verbum vllum aſperius proferendum, etiamſi furore percita omne genus crudelitatis ac diritatis in Chriſti ſeruos exerceat.

9 Audiant hunc ipſum Dei ſeruum Hilarium alio loco hac ipſa de re loquentem. Ceſſet a nobis, inquit, omnis maledictorum opinio; & mendacij ſuſpicio, veritatis enim miniſtros vera tantummodo decet proferre: ſi igitur falſa dicimus, de Conſtantio, infamis ſit ſermo maledicus; ſi vero vniuerſa quæ dicimus manifeſta oſtendimus, non ſumus extra Apoſtolicam libertatem & modeſtiam poſt longum ſilentium arguentes.

Egregia defenſio S. Hilarij de ſermonis ſui libertate. *Marc.6.*

Quod ſi quis temerarium forte putabit, quòd dicam Conſtantium Antichriſtum eſſe; quiſquis petulantiam iſtud magis quam conſtantiam iudicabit, relegat Ioannem dixiſſe ad Herodem, non tibi licet facere iſtud, ſicut etiam a Martyre dictum eſt Regi Antiocho: tu quidem iniquus de præſenti vita nos perdes,

„ ſed Rex mundi defunctos nos pro ſuis
„ legibus in æternam vitam in reſurrectio-
„ ne ſuſcitabit.& rurſum beata fideliq. vo-
„ ce. poteſtatem, inquit, habens inter ho-
„ mines, cum ſis corruptibilis, facis quod
„ vis, ſed patienter ſuſtine & vide, magna
„ Dei poteſtas qualiter te & ſemen tuum
„ torquebit. Hæc pueri. at fœmina nihil
„ minus perfectis iſtis ac beatis viris loquu-
„ ta eſt dicens. tu vero qui inuentor om-
„ nis malitiæ factus es in Hebræos, non ef-
„ fugies manum Dei. Non eſt iſtud igitur
„ temeritas, ſed fides, neque inconſidera-
„ tio, ſed ratio, neque furor, ſed fiducia.
„ Proclamo tibi, Conſtanti, id quod ego
„ Neroni loquuturus fuiſſem; cōtra Deum
„ pugnas, contra Eccleſiam ſæuis, ſanctos
„ perſequeris, Prædicatores Chriſti odis,
„ religionem tollis, tyrannus non huma-
„ norum ſed diuinorum factus.

10 Hac loquendi libertate vſi ſunt olim Patres noſtri, amici Dei, cum eiuſdem Dei ac Domini noſtri cauſa poſtularet,

vel

vel cùm inſolentium Principum impotentia impietaſq. id exigeret. Quo video certè neque præter exemplum, neque extra rationem me facturum eſſe, ſi in hoc edicto ſceleſtiſſimo confutando, grauius aliquando conquerar, aut liberius reprehendam, cùm non dicam alicuius Conſtantij aut Iuliani fraudes, mendacia ac calumnias contineat, ſed furorem etiam rabiemq. ipſius ſpiret Maxentij, ipſius Diocletiani, ipſorum Decij ac Neronis. Adhibebitur tamen ea moderatio, Deo iuuante, inter reſpondendum, quæ temporibus noſtris expedit, & rebus ipſis par eſt.

11 Et certe vidi iam duas Catholicorum Anglorum iuſtiſſimas Apologias, idiomate Anglicano, pergrauiter ſane ac ſolide ſcriptas, ad diuerſa Reginæ iſtiuſmodi edicta, quæ annis opinor 1580. & 1583. promulgauit; & vtraque (ni fallor) Doctoris Guilielmi Alani fuiſſe creditur, viri certè doctiſſimi, pari- Duæ Apologiæ pro Catholicis Anglicanis.

ter ac pientiſſimi, qui poſtea, ob inſignia in Eccleſiam merita, in Illuſtriſſimorum Cardinalium collegium cooptatus eſt. his in libris, cum id (poſt veritatem ipſam quam defendit) præcipua quadam cura ac diligentia niteretur Author, vt omnia, ſumma animi cùm demiſſione, ſumma reuerentia, ſumma cùm modeſtia reſponderet, nec quicquam diceret, quod vel ipſos aduerſarios iure poſſet offendere, (quod & cæteros quoque nationis illius ſcriptores Catholicos his noſtris temporibus ſtudioſiſſime ſemper obſeruaſſe video, quò Reginam, ſi fieri poſſit, placatiorem redderent) quàm parum tamen humilitate hac ſua ac lenitate profecerint, ex hoc ipſo edicto manifeſtum fiet, quo, non ſolum rebus ipſis ſæuitur, ſed conuitijs etiam virulentiſſimis inſectantur Hæretici Catholicos omnes, & nominatim virum illum digniſsimum Patriæ ſuæ ornamentum Cardinalem Alanum, alioſq. viros principes, quò fit, vt

ego certe minus me deuinctum exiſtimare debeam, ne libere hoc loco eloquar, quæ vel ad veritatis Catholicæ defenſionem, vel ad inſolentiæ hæreticæ refutationem pertinere quoquo modo cenſeam. Atque hæc præfati, ad ipſius edicti verba examinanda veniamus. Sic enim exorditur.

EDICTI INSCRIPTIO.

Per Reginam.

Declaratio magnarum turbationum, quæ contra rempublicam intentantur, per multitudinem Sacerdotum, Seminariſtarum, ac Ieſuitarum, qui clam immiſſi, & per Regnum diſperſi ſunt, vt inſignes proditiones operentur, ſub ementito nomine religionis, cum prouiſione valde neceſſaria de remedio, ad malum hoc auertendum, edicto ſuæ Maieſtatis publicata.

Edicti Anglicani verba.

SECTIO I.

Reſponſio.

ETiamſi primo loco ex conſuetudine dicat ſcriba, *Per Reginam*, nemo eſt tamen vel leuiter in rebus Anglicanis eruditus aut verſatus, qui non intelligat iſtiuſmodi Edicta tam feralia & Herodiana, quæ toties in Catholicos Reginæ nomine prolata cernuntur, non tàm ab ipſius Reginæ propenſione proficiſci, quàm ſcelerata quorumdam fraude atque importunitate, qui ei aſtant, extorqueri. Illa enim cum id imprimis ſpectet, vt pacate tantum ſuauiterq. viuat, dieſq. ſuos in bonis ducat, nec vllius religionis aut ſectæ odio vel amore magnopere moueatur; in eam partem ſua ſponte fertur, vt lites fugiat, ac bono hoc ſuo tranquille fruatur.

2 Cæterum nonnulli eorum qui ei à Conſilijs ſunt, cùm è terra fere emer-

Reginæ cōſiliarij.

ſerint,

ſerint, nec niſi è rebus turbatis honores ac diuitias quas appetunt conſequuturos ſe ſperent, nonnullo etiam odio religionis catholicæ inflãmati; perpetuas ei faces admouent, quibus eã in perniciem Catholicorum incendant, incenſamq. de malo ſemper in malum præcipitem agant. Id egerunt præ cæteris, hoc triginta & trium annorum dominatu, viri fere numero quinque, qui plus apud illam quàm reliqui potuerunt, ſexus illius infirmitate callidiſsime abuſi, Baconus nimirum, ac Cecilius, qui omnium primi eam inuaſerunt Regnum iam ingreſſam, ac paulo poſt, Robertus Dudlæus per aliam tamen viam ſubingreſſus, & per eandem, annis deinde aliquot interiectis, Chriſtoforus Hattonus, ac demum Franciſcus Valſingamus ad conſilij ſocietatem admiſſus, quorum omnium ſupereſt hodie ſolus Cecilius, veterator quidem multorum dierum ac peſsimorum, reliqui quattuor ceciderunt, ac

Quinque Reginæ cõſiliarij præcipui.

in locum ſuum iampridem abierunt.

3 His viris Regina ſe ſuaq. omnia ab initio vſque credidit, horum in poteſtatem ſe penitus tradidit, iſtorum conſilijs præcipue vſa eſt ad ſuam Regniq. ſui florentiſſimi perniciem. nam quanquam alios etiam non paucos in conſiliũ adſcripſerit, & ſenatorum nomine inſignierit, illi tamen ad numerum tantum pertinebant, penes iſtos omnis fere authoritas atque poteſtas extitit.

4 Cum igitur ab iſtis vel ſolis vel præcipuis, vniuerſa Anglicanæ reipublicæ calamitas, vniuerſa religionis ac Chriſti Eccleſiæ deformatio, vniuerſa bonorum afflictio proceſſerit; non erit abs re nonnullam ſingulorum facere hoc loco mẽtionem, vt à cuiuſmodi hominibus peſtis Patriæ illata ſit, intelligatur. Dicam autem eo ordine, quo quiſque eorum extinctus eſt, non quo dominatum adeptus, quia illius diei quàm iſtius multo iucundior eſt recordatio.

5 Nicolaus Baconus primam ſtatim Reginæ fortunam initio Regni, vt dixi, complexus, principem locum in Senatu obtinuit, ſigilli regij cuſtos declaratus; nouum officium nouo homini deſignatum, quò Cancellarij quidem nomen (cui impar videbatur) non haberet, rem autem haberet ac authoritatem. Atque huius officij priuilegio, ac dignitate, fuit deinde ſemper præcipuus in omni re adminiſtranda, quoad vixit, iuuante eum Cecilio, qui dextras ſibi inuicem dederant, tùm vt alter alterius ambitioni ſeruiret, tùm etiam ex quadam affinitatis neceſſitudine, quòd ambo in matrimonium Antonij Cooke filias duxiſſent: qui cùm puero Edouardo Regi ſexto, vnà cùm Ioanne Checo (quo cum Cecilius in Vniuerſitate Cantabrigienſi amicitiam contraxerat) præceptor daretur, facile effecit, vt vtrique genero, hoc eſt, tàm Bacono, quàm Cecilio aditus fieret in aulam.

Baconus qualis.

6 Erat Baconus loco quidẽ ferè infimo natus, pater enim eius Abbati Burienſi in paſtoris ac armentarij munere inſeruijt, à quo munere prima adoleſcentiæ iſtius rudimenta nõ fuerunt aliena. nam Londini in hoſpitio Grayenſi, quod vocatur, Subpromi primum habuit officiũ, quod in ſcholarium famulatu infimum ferè ac abiectiſſimum eſt; fuit tamen ingenio peracuto & vafro, nec municipalium tandem Angliæ legum indoctus; animalis tamen homo, & ventri deditus, ſpiritus expers, terram ſapiens, diuinorum inſcius ac contemptor, hæreſi addictus (licet vix vmquam certam ſibi ſectam delegiſſe exiſtimetur, quam definitè ſequeretur) Catholicorum hoſtis, ob commodum magis ſuum, vt inde creſceret, quam quòd vllius religionis cura angeretur, homo denique ſæculi huius, ac mundo penitus conformatus, qui nullo conſcientiæ impedimento prohibitus videbatur, quo minus Diocletiano, Maxi-

mino, aut Iuliano Apoſtatæ eadem fidei obſeruantia ac ſedulitate inſeruiret (ſi temporibus illis vixiſſet) qua nunc Elizabethæ inſeruijt, maximorum honorum præmio remuneratus. Tandem enim affluentem ſe vidit ijs rebus omnibus quas maxime cupiebat, honoribus ſcilicet, diuitijs, & cæteris huius vitæ bonis, quibus felicitatem metiebatur, ita vt de illo ac de Cecilio dici poſſit illud Dauidis. Manducauerunt, ſaturati ſunt *Pſal.77.* nimis, & nō ſunt fraudati à deſiderio ſuo: »

7 Cum autem hi religionem Catholicam penitus euertiſſent, ac Reginam impuliſſent in eos ſcopulos ac ſyrtes gubernandi, vt nec conſiſtere poſſet, neque progredi, neque etinm reſilire, niſi ipſis ſolis ducibus ac nauarchis, qui eam conſultò in hanc neceſſitatem adduxerant; tunc ſecuri ſibi viſi de dignitate quam adepti erant, quòd ijs carere Regina non poſſet, Baconus quidem, vti dixi, ingluuiei deditus, in eam corporis molem ac

fœditatem breui excreuit, vt alijs inuiſus, ſibi planè grauis, cadauer tandem terræ relinqueret, animam verò ad Chriſti tribunal tranſmitteret.

Dudlæus Comes Leceſtrenſis magiſter equitum.

8 Eiſdem ferè temporibus, quibus Baconus ac Cecilius ad reipublicæ ſe gubernacula inſinuauerant, dixi irrepſiſſe quoque in Aulam Robertum Dudlæum, licet aliquantò poſt, & alia via, id eſt, non ad reipublicæ ſtatim participationem, ſed ad gratiam tantum Reginæ admiſſum. erat enim iuuenis aſpectu pulchellus, quod tantum ei profuit, vt licet paulò antea (Maria nimirum regnante) in illius ac Elizabethæ exitium cum patre Ioanne Duce Northumbrio conſpiraſſet (quo nomine & ad mortem primum iudicio publico damnatus, & deinde per eandem Mariam vita ac libertate donatus fuerat) Elizabetha tamen ad regnum prouecta in tantam illum fauoris prærogatiuam admiſerit, vt vnus penè moderari omnia apud eam

videretur, à qua & Baro Denbihenſis, & Comes Leceſtrenſis, & Magiſter equitum conſtitutus eſt.

9 Erat hic Robertus Ioannis Dudlæi filius, qui ſub Edouardo Rege, ætate pueri abuſus, Edouardum Semerum Ducem Somerſetanum regis auunculum ac regni gubernatorem, tollendum vnà cum fratre Admirallio curauerat, & ſe Comitem primò Varuicenſem, deinde Ducem Northumbriæ creandum, & extincto deinde Edouardo Rege, filium ſuum in regni ſucceſſorem per matrimonium, quod cum filia Ducis Suffolciæ habuerat, excluſis Henrici Octaui filiabus conſtituerat; quo nomine à Maria deinceps diuinò auxilio regnum adepta capite damnatus ac mulctatus fuit. Dudlæorum origo.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

10 Ioanni pater fuit Edmundus Dudlæus ſcutifer, qui de peculatu damnatus ab Henrico Septimo, in crucem deinde ob eandem cauſam ab eius filio Henrico Octauo actus fuit. Hic Ed-

mundus

mundus fabro quodam lignario genitus dicitur, ita vt, ſi Roberti Dudlæi Comitis, de quo eſt ſermo, genealogia colligenda ſit, fuerit ille quidē Ducis filius, & Regis ad tempus frater, ſcutiferi nepos, ac fabri pronepos; qui tamen faber eò beatior quam reliqui, qui ab eo fluxerunt, exiſtimari ac dici poteſt, quòd vir bonus fortaſſe lectulo ſuo mortem obierit, cum cæteri fere omnes aut ferro, aut laqueo, aut morte aliqua violenta ob ſua flagitia interierint.

11 Hic etiam Robertus, qui Angliam poſtea tantopere afflixit, variam certè & inæquabilem vitæ ſuæ expertus eſt fortunam. Primum enim in ſumma rerum opulentia ac faſtu natus, vidit ſe paulo poſt miſerrimum, patre fratribuſq. ac rebus omnibus orbatum, mortiq. addictum; ſed iterum tandem, voluente rotam fortuna, euectus eſt ad honores maximos; per totos enim ferè triginta annos, vniuerſum Angliæ regnum ſua ha-

buit in poteſtate, eaq. potentia tàm improbè ac impotenter vſus eſt, vt facile intelligatur quàm lubricus ſit diuitiarum ac honorum locus, vel præceps potius ad omne vitium. nam ille in fortuna mediocri non malè animatus vel in ipſam etiam religionem Catholicam exiſtimabatur; poſtea vero quàm Aulæ cõſuetudine creſcere nonnihil cepit, ſic ingurgitauit ſe in omnia flagitiorum genera, vt Anglia numquam aut nequiorem, opinor, hominem, aut tyrannum inſolentiorem fuerit perpeſſa.

12 Quis enim illius, vel ſtupra, vel adulteria, vel homicidia, vel parricidia, vel furta, vel rapinas, vel periuria, vel oppreſſiones pauperum, vel ſæuitiam, vel aſtutias, vel probra excogitata in religionem Catholicam, vel damna illata tàm reipublicæ quàm priuatis familijs poterit vmquam oratione conſequi? extant libri integri de his rebus ſcripti & prælis excuſi, tam Anglicè quàm Gal- Comitis Leceſtrenſis improbitas.

licè,

licè, de quibus vnum vel alterum tantum excerpam, exempli cauſa, vt qualem religio Catholica habuerit in Anglia per tot annos aduerſarium (illius enim potentia omnia ferè contineri iam dixi) intelligatur.

13 Primò omnium, cùm Reginæ ſe amicitiam conſequutum vidiſſet, tunc vt fortunæ commutationem, ſuamq. à religione Catholica defectionem, ab inſigni aliquo ſcelere ordiretur, vxorem ſuam fæminam nobilem, ac locupletem, quæ temporibus triſtiſſimis, ſuis illum opibus aluerat ac ſuſtentauerat, ne ſuæ iàm felicitatis eſſet particeps, vel libidinis potius ſpectatrix aut impedimentum, è curia ſtatim ad villulam quandam, quinquaginta ferè millibus paſſuum Londino diſtantem, eiecit, atque ibi, in domum priuatam famuli cuiuſdam ſui eam compegit, vbi (quod omnes ei ominabantur) id breuiſsimè contigit, vt fractis nimirum ceruicibus expiraret.

14 Poſt huius exitium, in omnem libidinum licentiam impotentius ſe effudit, ita vt nihil ei clauſum, nihil cuiquam tutum, nullius torus contra ſuæ libidinis faces flammaſq. ſatis munitus eſſe videretur. Cum fæmina quadam pernobili Baronis vidua, fide matrimonij data, cõſuetudinem habuit, & ex ea filium, qui hodie etiam viuit; ſed ea pòſt reiecta, adulteræ cuidam adhæſit, quæ Reginam ipſam conſanguinitate ex Bolenorum familia attingebat: ea fuit vxor Comitis Eſſexiæ qui exceptioni in Hibernia præerat. Is cùm audiuiſſet, quid ageretur, & grauiſſimè illatam ſibi contumeliam accepiſſet, & feſtinato curſu in Angliam iniuriæ vlciſcendæ cauſa properaret, ſublatus eſt veneno in ipſo itinere, quo facto iſte, & poſſeſſionem adulteræ ſibi firmam reddidit, & eam poſtea in coniugem duxit; irata licet ac perinuita, immo reclamante, iraſcente, deteſtante Regina; ſed ille iam eò potentiæ proceſſe- Baroniſſa Shefeldia.

rat, vt neminem vereretur, nec tàm Regina quàm ipſe totius regni vires complecti ſua poteſtate videretur.

15 Quod exinde quoque magis omnibus patuit, quia etiamſi ex hoc die, ideſt, poſt iſtas nuptias, nunquam illum amaſſe Regina credatur, plura tamen eius ſuaſu atque arbitratu feciſſe poſtea conſtat quam antè, quod timori ab omnibus tributum eſt. Illo enim præcipuè ſuadente vnà cùm Cecilio, leges plurimæ iniquiſſimæq. in Catholicos latæ fuerunt, maximè illæ, quæ anno regni iſtius vigeſimo ſecundo promulgatæ cernuntur.

Bellum apertum in Regem Hiſpaniæ.

16 Illo præterea ſuadente ac penè cogente, bellum apertum ac nefarium Regi Hiſpaniarum intulit Regina, & ditiones Belgicas manifeſto Marte, iſto duce, inuaſit, cùm antè obſcurè tantùm & diſſimulanter rem egiſſet, & auxilijs occultis rebellatores fouiſſet. Illo etiam poſtulante atque agente, tranſactum eſt de vita morteq. Reginæ Scotiæ, vt in ius ni-

mirum

mirum contra ius vocata, capite ad extremùm plecteretur. Illo agente, inſtigante atque ſumptus etiam contribuente, pyratæ illi atque prædones maritimi, tamquam Dæmones, orbem vniuerſum peruagati, latrocinijs omnia compleuerunt.

17 Tandèm verò bellorum feſſus (neque enim vnquam Martis gloria claruit) cùm in Angliam ex Hollandia reuertiſſet, & maioribus quam vnquam antea arderet ambitionis facibus, maximis itē odijs in Catholicos inflammatus, diuina miſericordia tùm maxime concidit, cùm maxime expediret, ſed minime expectaretur. De cauſis verò mortis, non eſt eadem omnium vel opinio vel coniectura. Quidam enim ex iracundia, & furore quodam interijſſe putant (non aliter ferè quàm Antiochum illum Iudæorum perſequutorem) eò quòd cùm Regina petitioni eius annuiſſet, qua ſummum quendam magiſtratum & imperium ex-

Leceſtrij Comitis mortis genus.

2. Mach. 9.

traordinatium in Anglia poſtulaſſet, cæteri Senatores non ſunt ei aſſenſi, nec vnquam Cancellarius eius precibus adduci potuit, vt ſigillum publicum ad ſcripturam apponeret.

18 Alij iuſtiori Dei iudicio extinctum putant, vxoris nimirum opera, cuius adipiſcendæ cauſa, priorem maritum Comitem Eſſexium ſublatum diximus. Iam enim illa (vti fieri ſolet) hominis ſeneſcentis pertæſa, iuuenem quendam ſtrenuum & non ignobilem, è Comitis famulatu, Blundum nomine, adamare cæperat, quod cùm ille animaduertiſſet, amandauit Blundum in Hollandiam, ſpecie quidem honoris, vt illi bello, ſuo nomimine intereſſet, reuera autem, vt vel aperta vi, vel inſidijs caderet; vxorem vero, non diſſimili amoris prætextu rus eduxit, quò de ea commodius vindictam ſumendi occaſio daretur, quod cùm illa præſentiſceret, præueniſſe dicitur, quod, & repentinum mortis genus, &

iſtius celeres poſtea cum Blundo nuptiæ, ſtatim poſt Comitis interitum vehementer confirmarunt; ſed vt fuerit percommodè ſanè cecidit ad cauſam Catholicorum, qui hac Dei prouidentia, ab atrociſſimo hoſte liberati fuerunt.

19 Leceſtrio ad omnem ferè nequitiam ac impietatem (præſertim quæ religionem Catholicam impugnaret) inſtrumentum fuit, & ſubſidiũ ſingulare Franciſcus Valſingamus, Regni ſecretarius, homo loco non ignobili planè natus, ſed ferus & aſper, & cùm natura iracundus & ardens, tùm ſectæ Caluinianæ zelotypia præceps planè, ac penè furioſus. Leceſtrio in rebus ferè omnibus adhærebat, ſed duabus maximè, affligendis nimirum ac perſequendis Catholicis, & bellis ferendis per externa regna, reliqua vita, non ità publicè flagitioſus: quamquam illud neſcio, an vllo flagitio minus eſſet nefarium, quòd tam immitis ac bar- Valſingamus Secretarius.

barus in Chriſti Confeſſores ac Martyres ſemper extiterit; vt non tantùm verbis inhumaniſſimis, contumelijs, probris, dicterijs, & iniurijs ad ſe venientes exceperit, ſed nonnunquam etiam pugnis & calcibus; fuit enim iræ impotentiſſimus, ac tanta rabie in religionem Catholicam nonnunquam extimulatus, vt planè Auerni facibus accenſus atque agitatus furijs videretur.

20 Valſingamus igitur cũ ei pro officij ſui ratione incumberet (quod eſſet à ſecretis) ad Reginam referre, quæ in Senatu agerẽtur, eamq. de externis etiam rebus certiorem facere, quæ alienis regnis per orbem gerebantur, ſingulare ſtudium in eo ſemper poſuit, vt rerum copiam haberet, qua Reginæ aures demulceret, eamq. ob cauſam exploratorum ingentes turbas per omnium ferè principum aulas ac reſpublicas habebat; qui litteris frequentiſſimis quid ageretur, quid diceretur, vel quid etiam cogitaretur

renun-

renunciarent; quibus ille rebus acceptis, ac ad ſuum deinde arbitrium effictis, ac dolatis, ſiue veris, ſiue falſis, ſemper tamen proſperis, Reginæ animum paſcebat. Nonnulla etiam ipſe per ſe ac ſuos præſtabat, armandis ſaltem pyratis ac prædonibus maritimis, quorum felici ſucceſſu Regina lætaretur, atque his in rebus, alendiſq. exploratoribus, vitæq. luxu ac ſuperbia, tantam vim pecuniarum effudit, vt ære tandem alieno oppreſſus interierit, percuſſus etiam à Domino vlcere peſſimo ac plagà inſanabili ad corporis partes abditiores, non aliter quàm de Gallerio Maximino tyranno refert Euſebius. **Valſingami mors.** *Euſeb. lib. 8. c. 28.*

21 Valſingami mortem exiguo temporis interuallo ſecuta mors eſt Chriſtofori Hattoni, regni Cancellarij, qui ad diem vigeſimum octauum Nouembris anni ſuperioris multis ſanè de cauſis perinuitus ex hac vita diſceſſit, pridie nimirum illius diei, quo hoc edictum promulga- **Hattonus regni Cancellarius.**

tum

tum eſt, cui ipſe dum viueret reſtitiſſe dicitur, nec vnquam aſſenſiſſe; tùm quod vir moderatior tantam crudelitatem fortaſſe non probaret; tùm etiam quod à Cecilio ac Puritanis (quibus Cecilius modò patrociniũ oſtentat) capitali odio diſſideret, nec vellet eorum potentiam Catholicorum preſſuris tantopere augeri. Hinc nata eſt veneni ſuſpicio ad hominem tollendum, vt diuerſis Anglorum litteris perſcriptum vidi. eſt enim ad omnia acutiſsimus Cecilius, qui vt omnibus victoriam ſuam teſtatiorem faceret, ſequenti ſtatim die poſt Hattoni obitum, expediendum curauit Edictum, quod antea hærebat, magnoq. ſonitu in foro publicandum. Sed ad Cancellarium reuertamur.

22 Hic, honeſta magis quam clara ortus familia, Londinum iuuenis venerat vt in legum regni municipalium ſtudium incumberet; verùm cùm ſtudiorum labores grauiores illi viderentur, quàm vt

æquo animo ferre poſſet;fecit,quod magna ſolet hodie iuuentutis Anglicanæ pars,qui ſtudiorum cauſa Londinum veniunt, vt aulam potius, quàm ſcholam frequentaret. Contigit autem, non longè poſt Elizabethæ ad regnum euectionem, cùm omnia iam feruerēt iocis, ſpectaculis ludicris, alijſq. ſtudijs iuuenilibus, vt in ipſis Domini natalitijs feſtis, comædia quædam ſummo apparatu in ipſa Reginæ curia vniuerſitatis nomine, per ipſos ſtudioſos exhiberetur; qua in re,cùm multi pulcherrimè egiſſent, omnes tamen Chriſtoforus Hattonus tùm venuſtate corporis, tùm actionis lepore excelluiſſe exiſtimatus eſt; eaq. re tantopere Reginæ placuit,vt deinceps ſemper in Aula eum habuerit, ac per omnes omnium honorum gradus ad ſummum tandem perduxerit, qui eſt Cancellarij. primò enim Regij corporis cuſtodiæ præfectus eſt, deinde cubiculo quoque præpoſitus, & his poſtremus additus

Cancellarij magiſtratus.

23 Fuit Hattonus vt reliqua vita elegã-tior, ità quoque in republica gubernanda multò tẽperatior, quàm cæteri, quos modo nominaui Senatores & Conſiliarios. In religionis etiã negocio, ſi quid ſenſus habebat, Catholicam ſine dubio veriorẽ exiſtimabat, quod multis ipſe ſignis, ac verbis etiã nonnumquam demonſtrauerat. Verùm ità ſe cõpoſuerat, vel abiecerat potius, homo miſerrimus, ad omnem Reginæ voluntatem ac voluptatem, vt illam ſe vnam aſpicere, illius tantum ſequi nutum in rebus omnibus profiteretur. Illi ergo vt placeret, Domino ſuo ac Creatori diſplicere neglexit, famulorum eius non rarò conſentiens mortibus, quamquam ipſe dum vixit, diligentiſſimè hoc à ſe crimen apud amicos Catholicos ſtuduit ſemper amoliri, affirmans numquam ſe in cuiuſquam viri Catholici necem, aut exitium conſenſiſſe. Sed vix eſt credibile, cùm ea eſſet authorita-

te,tùm in Senatu,tùm maximè apud Reginam, vt ipſo reclamante tanta ſtrages hominum innocentiſſimorum fieri vnquàm potuiſſet; hinc tamen argumentum ſumi poteſt,quid miſeri iſti carnifices atque fratricidæ,Deo tandèm reſponſuri ſint de tanto ſanguine effuſo, cùm apud homines etiam iam nunc erubeſcant,vt nominatim quiſquam eorum ei rei aſſenſiſſe putetur, quam omnes ſimul iuncti,repugnante licet conſcientia, ſummo ſtudio, ambitionis ac nequitiæ cauſa promouent.

24 Sit igitur Hattonus apud alios excuſatus de hoc tanto ſcelere, mihi verò ex ſentētia Euangelica duplici potius damnatione dignus videtur, nimirum quòd nouerit veritatem ac iuſtitiam, & contrà fecerit, quòd lumen acceperit,& ſpontè tamen cæcutierit, quòd viros bonos viderit,ac laudauerit,& partiri tamen cum furibus,& ſocius eorum fieri voluerit. Sit etiam alijs felix, & videatur perbeatus, Hattonii infelicitas.

quòd diues, quòd potens, quòd ſumma apud Reginā gratia tot annis fuerit, mihi certè vel hoc ipſo perinfelix videtur, quòd his illecebris Diabolus eum in perditionem traxerit. Quamquam alij quoque eo vno infortunatum illum putant, quòd cùm opes prope ingentes cumulaſſet, numquā tamen ei per Reginam licuit matrimonium inire (quod ipſe ſummopere concupierat) quò tantorum ex ſe bonorum hæredem relinqueret. Sed hic ferè eſt exitus iſtiuſmodi nugarum, quæ ab oculis carnis tanti æſtimantur; modò agenda eſt Hattono conſcientiæ ſuæ ac vitæ cauſa, vbi neque Reginæ potentia, neque gratia hominem poterit ſubleuare.

Cecilius regni Theſaurarius.

25 Reſtat aliquid de Cecilio dicendum, qui vt primus prodijt in hanc ſcenam, ità poſtremus perſtitit, author & actor vniuerſæ fabulæ, immò poeta, & hiſtrio, & mimus eiuſdem, ac veriſſimus totius calamitatis Anglicanæ architectus, qui

eò

eò profectò nequior, quàm cæteri, exiſtimandus, quò ficta moderatio deteſtanda magis eſt, quàm furor manifeſtus. Iſte enim cum principium omne dederit ſanguinariæ huic tragædiæ, & eiuſdem actionem perpetua ſemper ſollicitudine vrſerit, verſutiſſimè tamen rei inuidiam declinare ſtuduit & in alios deriuare, modò Leceſtrium, modò Valſingamum, modò alios inſinuans apud Catholicos, cùm ſupplices eum adibant, tantæ ſeueritatis authores eſſe, ſe percupere quidē aiebat vt mitius ageretur, ſed obtinere nō poſſe; cùm certò interim conſtet, illius partes præcipuas ſemper his in rebus extitiſſe, & eo authore atque ſuaſore, ſæuitum eſſe crudeliſſimè quacunque vel minima oblata occaſione. De hoc ergo tam ſubdolo, ac vafro homine nonnulla altius repetenda videntur.

26 Fuit iſti Cecilio, qui modò regni Theſaurarius, & pupillorū nobilium cuſtos, & quidlibet in Anglia ferè eſt, ſuoq.

Cecilij principia & aditus primi ad honores.

cuncta moderatur arbitratu, humile valde & obſcurum initium. Pater enim eius, cui nomen fuit Dauid Cecilius loco penè infimo inſeruijt Regio veſtiario: Auus verò ex militibus fuit præſidiarijs, qui ad Regij corporis cuſtodiam deſignantur, & diuerſorium inſuper ac tabernam publicã habuit in oppido Stamfordiano. Hic verò noſter, poſt aliquot annos in literarum ſtudio in Vniuerſitate Cantabrigienſi poſitos, Edouardi Regis initijs, ſoceri ſui adiutus authoritate (vt anteà dictum eſt) contulit ſe in famulatum Edouardi Semeri Ducis Somerſetani, Regis auunculi, qui Protectoris appellatione, vniuerſo regno, authoritate regia, per id tempus præerat. Huic cùm aliquandiu à ſecretis inſeruijſſet, & per eum in conſilium etiam regium inductus fuiſſet, & permutationi religionis Catholicæ, quæ eodem tempore Somerſetani Ducis maximè authoritate fiebat, non parum cooperatus; ani-

maduer-

maduertit homo callidus, non ſatis eſſe vel prudentiæ, vel opis in Somerſetano, vt ſe ſuoſq. contra Ioannem Dudlæum Comitem Varuicenſem tueretur, qui manifeſtis indicijs ad locum & dignitatem Somerſetani aſpirabat. Itaque mutandum ſibi ratus velificationis curſum Cecilius, ſumma perfidia Somerſetano prodito atque deſerto; contulit ſe ad Dudlæi partes, cui accuſationis materiam etiam ac teſtimonium præbuiſſe dicitur, quo Somerſetanum Dudlæus facilius opprimeret; in cuius rei mercedem Dudlæus poſteà, Somerſetano extincto, cùm ipſe ſolus rerum omnium potitus & Dux Northumbriæ creatus fuiſſet, curauit, vt Cecilius cum rege Edouardo rediret in gratiã, & in Conſilium iterum reſtitueretur, & Secretarij dignitatẽ recuperaret.

27 Deinceps verò, Maria regnum poſt Edouardum adepta, & Northumbrio ob ſcelera capitis condemnato, Cecilius, vt hac etiam rerum tempeſtate ſuum

Cecilij fraudes.

ad commodum vteretur, ſummum primò religionis Catholicæ zelum ſimulat, Eccleſias frequentat, miſſarum ſolemnijs quotidie intereſt, roſarium, quod vocāt, Beatæ Virginis de manibus nunquam aut rarò deponit, precandi globulos diligenter verſat, litanias ſuppliciter cum Sacerdote in Eccleſijs recitat, ex ſuggeſto etiam eccleſiæ ſuæ parochialis Stamfordianæ, vt nonnulli referunt, deuotè aliquando concionatus dixit ad contribules ſuos, ſe Edouardi Regis tempore, errore quidem iuuentutis lapſum, ſed modò veritate perſpecta reſipuiſſe, & pœnitentia ductum redijſſe vltrò ad Eccleſiæ Catholicæ ac Romanæ gremium, hortari ſe omnes ſeriò, vt id ipſum faciant, & ſi qui fortè illum ſequuti fuiſſent errantem, ſequantur modò pœnitentiam agentem.

28 His rebus cùm ſatis ſe probaſſe Catholicis Cecilius exiſtimaſſet, vel ſaltem ſatis diſſimulationi ſuæ feciſſe fucum;

cæpit cùm per ſe, tùm etiam per amicos ſollicitè agere, vt priſtina ei dignitas Senatoris ac Secretarij redderetur, à qua ſententia non longè ſanè aberant nonnulli viri præcipui partis Catholicæ, & imprimis Cardinalis Polus, qui plurimùm eo tempore authoritate valebat, & vir optimus cùm eſſet, aliorum animos è ſuo metiẽs, exiſtimabat tàm iſtum, quàm Elizabetham principem, ex animo verè loquutos, cùm verbis tantòpere religionem Catholicam profiterentur. Itaque in eam partem inclinabat, vt Cecilio tàm Senatoria dignitas quàm Secretarij officium reſtitueretur. Idem perurgebat Guilielmus Petrus, eques auratus, qui hac ipſa tempeſtate Mariæ Reginæ à Secretis erat, & officium ſuum in hunc ipſum Cecilium transferre (quod ipſe ſenio laboraret) magnopère cupiebat; quod certè ſi factũ fuiſſet, etiamſi quamplurimùm ſine dubio in homine erraſſent, quem putabant Catholicum, mini-

Card. Polus.

Guil. Petrus.

mè tamen fortaſſe abs re fuiſſet; eſt enim omnium conſtans opinio, quòd Anglicana reſpublica nunquam in has calamitates veniſſet, ſi eo tempore Cecilij ambitioni ſatisfactum fuiſſet; neque enim ille alia de cauſa ſequentis Regni initia turbauit, niſi vt opes ac honores aſſequeretur, quos ſtante priori reipublicæ forma, conſequi nulla ratione potuiſſet.

Cecilij aditus ad Elizabetham.

29 Sed quanquam (vt dixi) non deerant viri Catholici, qui hoc ipſum tunc ſentirent, Mariæ tamen Reginæ, quæ hominis hypocriſim optimè omnium nouerat, nunquam perſuaderi potuit, vt ei fideret, aut ſuorum conſiliorũ participem illum faceret. Quod cùm ille tandèm penitus perſpexiſſet, ne nihil ageret, alias ſtatim cogitationes inijt, ſeq. ad ſpem quandam orituri ſolis conuertit: contulit enim ſe ad principis Elizabethæ obſeruantiam & famulatum, in cuius exitium paulò antè, cum Duce Northumberlano, ipſe etiam nominatim & ſcri-

pto chirographo conſpirauerat. Cùm tamen Elizabethæ paulò poſt regnandi vices ex inſperatò ferè obueniſſent, non fuit Cecilio perdifficile intimè ei ſe inſinuare ad perſuadendum quæ vellet; habuit tamen primis illis diebus non exiguam difficultatem, vt eam induceret ad religionis formam publicè permutandam, non quòd illa religionem vllam magnopere curaret, ſed quòd res ipſa magnas in ſe difficultates, ac nonnihil etiam periculi habitura videbatur, eò quòd omnium regni ordinum præcipua pars religionis Catholicæ magno ſtudio teneretur. Sed contrà Cecilius atque Baconus affirmare, expedire penitus Reginæ, vt religionis forma (ad tempus ſaltem) permutetur, ne illa Pontificis Romani approbare videatur authoritatem, cujus decreto matris ſuæ cum Henrico nuptiæ improbatæ fuerant, & conſequẽter ipſamet etiam Elizabetha ab omni regni hæreditate tanquam illegitima ex-

cluderetur. non defuturas in poſterum redeundi cum Pontifice in gratiam, rebus ſuis benè compoſitis, ſi ità videretur, occaſiones, nec timendam aliquam regni perturbationem, aut procerum hac de cauſa defectionem; ſe enim in capita ſua recipere, id omne pacificè ac tranquillè perfecturos: nec viam diſſimulant, qua id ſint aggreſſuri, quæ via cùm Reginæ etiam non diſplicuiſſet, res omnis eorum arbitrio ac poteſtati permiſſa eſt, illi autem hac impoſtura quam dicam, negotium omne confecerunt.

Fraudes Cecilij ac Baconi in religione Catholica opprimenda.

30 Erat eo tempore clariſſimus inter omnes Regni Anglicani proceres Comes Arundelius, non tantùm familiæ nobilitate, qua primum locum in Comitijs tenebat, ſed aliorum etiam procerum affinitate & obſeruantia. Dux enim Norfolciæ, qui omnium erat potentiſſimus, Arundelij filiam in vxorem duxerat. Hunc Comitem delegerat Cecilius, licet opinione Catholicum, vt ſibi eſſet

inſtrumentum ad religionem catholicam euertendam, nec deerat ad hoc facinus, peropportuna quædam occaſio. Nam Arundelius per hæc ipſa tempora, vxore viduatus, neſcio quid inanis ſpei de Reginæ nuptijs conceperat. Dux etiam Norfolcianus amiſſa coniuge Arundelij filia aliam quandam deperibat ſanguine ſibi coniunctam, quam per leges Eccleſiaſticas ducere non poterat, niſi Pontifex ea in re diſpenſaret: nonnulla autem erant quæ Pontificem in eo negocio difficiliorem, quàm Dux ipſe animo conceperat, reddidere.

31 Vtramque igitur occaſionem arripuit Cecilius, tùm vt ira magis Ducem accenderet in Pontificem, tùm etiam vt cupiditate Comitem inflammaret ineundi cum Regina matrimonium, cuius rei certiſſimam ei ſpem faciebat, ſi ad Regiam ſe voluntatem, in religione ad tempus ſaltem commutanda, conformaret. Quod ille auidiſſimè arripiens, lætalis

iſtius cupiditatis facibus adeò incēſus ac inflammatus fuit, vt omnia ſtatim miſcere ac profundere ceperit, immò prorſus inſanire; cùm enim maturæ iam ætatis vir eſſet, ad iuuenilia omnia & puerilia deſcendere, quò Reginæ adoleſcentulæ placeret, conuiuijs, iocis, tripudijs, alijſq. ineptijs dies noctéſq. terere, quoad tandem exhauſtis rebus omnibus & ad ſummam ferè paupertatem redactus, deluſus à Cecilio, deriſus à Regina, derelictus ac contemptus ab omnibus, miſerrimo dolore confectus perijt.

Modus mutandæ religionis in Anglia.

32 Interim tamē Cecilio ac Reginæ contrà Deum deſeruierat, in religione comitiorū authoritate mutāda. Regina enim, ſua id authoritate efficere numquam potuiſſet. In Comitijs autem quæ vniuerſam rempublicam repræſentant, cùm duo præcipuè hominum genera ſint, qui ſuffragia ferunt, aliud Epiſcoporum ac Præſulum Eccleſiaſticorum, aliud Procerum & Principum laicorum, de primis

deſperantes hæretici,laborarunt tantum de ſecundis peruertendis, quos Arundelij ac Ducis Norfolciani Generi ſui opera ſic peruerterunt,vt cùm maxima eorũ parsCatholici eſſent,alij tamen ceperint iſtorũ precibus permoti diſſimulare, alij abeſſe Comitijs eo die quo de religione tractabatur; alij tacere, alij proceribus hæreticis ſuffragiorum ſuorum poteſtatem facere,alij penitus deficere, ac ſententiam pro hæreticis ferre: denique eò vſquè valuit Cecilij fraus & aſtutia, vt tandèm ex omni nobilitate laica, quæ præſens aderat, trium ſuffragiorum numero Catholici ſuperarentur, quibus elati hæretici, tamquam legitima Comitiorum ſententia pro ſe lata, Eccleſiaſticos (quorum vota locum principem ac pondus præcipuum in Comitijs habere debuiſſent) præter omne ius ac fas prætereunt, locíſq. eos deinde per vim mouent,dignitatibus ac honoribus ſpoliant, carceribus,quòd eis conſentire nollent,

inclu-

includunt, nec his contenti, miniſtris etiam ſuis, id eſt partis hæreticæ buccinatoribus, Epiſcopatus, aliaſq, dignitates Eccleſiaſticas iniquiſſimè attribuunt, atque hac ratione Euangelium ſuum legitimè in Anglia introductum, ac ſtabilitum proclamant,& proditorem patriæ decernunt,quicunque rem poſtea in controuerſiam vocare præſumpſerit.

33 Vt autem criminis huius (proditionis nimirum & læſæ maieſtatis regiæ) iuſtam aliquam ſpeciem haberet, atque toti huic negotio maior fucus præpararetur in poſterū,contra Catholicos(ſolēt enim ab antiquo hæretici humanæ magis quàm diuinæ maieſtatis rationē habere,magiſq. offenſas quæ in mortales principes committuntur, quàm quæ in Deū, exaggerare) lege ſanciendum his primis Comitijs curauerunt, vt omnes verbis conceptis iurarent: Reginam eſſe ſupremam in cauſis eccleſiaſticis gubernatricem, ac iudicem, & omnia iura ac pote-

Vnde tot criminationes de læſa maieſtate in Anglia.

ſtatem Pontificis Romani in regno Angliæ, in ipſam, comitiorum horum authoritate, tranſlata eſſe. Quæ periurandi ac blaſphemandi formula, cùm ipſis etiã legis conditoribus impia & ridicula videretur, ſubdolè per Cecilium & ſui ſimiles ſuggeſtum fuit, vt ſe ipſi lege eximerent, quam alijs ferebant, quod & factum eſt. Nam eiſdem cauetur comitijs ne legis iſtius pœna ad magnates parlamentares (vt ipſi loquuntur) extendi poſſit, ſed alios tantum inferiores inuoluat; exemplum ſanè illuſtre hæreticæ fraudis, impietatis, atque nequitiæ, quæ ſe ad tempora & homines accommodat, nec conſcientiæ, ſed vtilitatis ſuæ negotium agit.

34 Ex hoc fonte manauit omnis illa multitudo proditionum ac criminum læſæ maieſtatis, quibus Catholici Anglicani deinceps implicati ſunt, & hodie opprimuntur, ita vt nihil ferè de religione ſua proferre, aut affirmare, aut exercere

poſſint, quod ad aliquod læſæ maieſtatis caput, ac criminationem non pertineat. Cùm enim totius negotij ad religionem pertinentis ius, ad ciuilem magiſtratum tranſlatum ſit (huius autem decretis non obedire rebellio quædam, ac perduellio vulgò videatur) facilè effectum eſt, vt omnia ferè religionis Catholicæ capita, quæ in Anglia per hæreticos non admittuntur, læſæ maieſtatis crimina cenſeantur; atque hoc Cecilij præ cæteris ſubdola, malitioſa, ac planè Iulianica aſtutia factum eſt, ne Catholici propter fidem afflicti, propter fidem videantur pati; quod honorificum eſt, ſed ob flagitia ac proditiones, nomine nimirùm odioſiſſimo.

Naz. ora. 1. in Iulian.

35 Atque cùm hoc rerum curſu vterentur Cecilius & Baconus, & omnia ſuo arbitratu ſoli gererent, Reginamq. penitus ſua haberent in poteſtate, ità vt nullo ferè numero apud illos vel illam totius regni nobilitas antiqua haberetur; tunc ſanè (licet ſerò) pœnituit tandem ma-

Conſpiratio procerum præcipuorum in Ceciliũ & Baconum.

gnates illos de ſumma illa leuitate atque inconſtantia, qua Dei cauſam (proh dedecus) in Comitijs tàm infeliciter, atque abiectè paulò antè prodidiſſent, & homines ſordidos atque inſolentiſſimos ſua extuliſſent & armaſſent authoritate, in ſui ſcilicet contemptum ac reipublicæ ruinam. Inierunt itaque quale tunc poterant conſilium, quanam ratione aut via huic tanto malo remedium aliquod adhiberi poſſet, quod hac occaſione aggreſſi ſunt.

36 Turbatis iàm omnibus ferè vicinis regnis per Cecilij molitiones, præcipuè verò Gallia, Scotiaq., venerat recentiſſimè in Angliã Elizabethæ inuitatu Maria Stuarda Regina Scotiæ, auxilij accipiẽdi cauſa contrà hæreticos ſuos, Cecilij maximè inſtigatione rebellantes. Cũ autem Mariæ in cuſtodiam contra fidem datam traditæ, Cecilius nobilitatem Anglicanam benè cupere intellexiſſet, veritus ne ſi Elizabetha ſine liberis moreretur, Ma-

Reginæ Scotiæ in Angliam aduentus.

ria ei ſuccederet, cepit miſcere ac turbare omnia, ne hoc accideret; & inter cætera librum quendam idiomate Anglicano conſcriptum, clàm emitti ac euulgari curauit, quo ſeditioſiſsimè aſſereretur non ad Scotiæ Reginam, quæ ex prima Henrici Regis ſorore deſcenderat, ſed ad Comitis Herefordienſis filios, qui ex ſecunda eiuſdem Henrici ſorore (illegitimo licet connubio) prognati erant, & quibuſcum ipſe Cecilius ac Baconus neſcio quam affinitatem iam contraxerãt, regni ſucceſsionem iure pertinere.

37 Hac tàm inſigni nequitia, atque inſolentia laceſsiti proceres (erat enim hæc eadem plane fraus quam Northumbrius paulò antè, Edouardi Regis tempore, pro Iana Ducis Suffolcienſis filia molitus erat) cõuenerunt frequẽtes Londini, ad annum Domini 1568. qui fuit Elizabethæ regni decimus, in domo Marchionis Vintonienſis, viri longè prudentiſſimi, ac regni theſaurarij, vbi præſen-

tes erãt præter ipſum Marchionem, Dux etiam Norfolcius, Comes Arundelius, Comes Penbruchius, & alij primores viri quos modo nominare non eſt neceſſe. Penbruchius verò filium etiam natu maiorem, qui modò ſupereſt, & hæreticorum partibus totus obſequitur (à paterna maximè magnanimitate degenerans) in eum ſecum conuentum adduxit, quò puer etiam addiſceret (ſic enim erãt patris ad eum verba) rempublicam contra perditiſsimorum hominũ nequitiam defendere. Intererat etiam eidem conſilio Robertus Dudlæus, Comes Leceſtrenſis, partim quia nondùm penitus à religionis Catholicæ amore, quam pater eius moriens plurimum ei commendauerat, nec ab antiquorum procerum obſeruantia deſciuerat, partim etiam quòd magna eo tempore æmulatione, & odio cùm Cecilio certaret (vt inter riuales fieri ſolet) vter vtro magis apud Reginam authoritate valeret.

Procerum decretum de ſuſpendendo Cecilio.

38 In hoc conſeſſu principū totius Regni potentiſſimorum, poſt multas querelas de præſenti rerum gubernatione propoſitas, quarū omnis culpa in Cecilium & Baconum meritò videbatur conijcienda, ſententijs tandèm omnium decretum fuit, vt proximo frequenti Senatu, Dux Norfolciæ cæteris comitatus proceribus, vtrumque reipub. nomine puniret, idque ea ratione, vt è Senatu, Regiaq. abreptos, ad Curiæ ianuas in crucem agi præciperet, & re perfecta omnes illicò ad forum progreſsi, explicarent populo tùm huius facti rationem, tùm ſucceſſionis etiam regnandi legitimam ſeriem, ſi quid forte Reginæ humanitus accideret, cui tamen cæteris in rebus omnibus, quæ ad officia ſua & fidelitatem pertinerent, ſe fore obedientes ac promptiſſimos ſemper, nouo etiam iuramenti Sacramento, eo ipſo loco confirmarent.

39 Sed hoc eis conſilium non ſucceſſit,

eò quòd perfidia Leceſtrij tota res ſtatim patefacta Reginæ fuit; quæ tanto procerum ſuorum conſenſu perterrita, vocatum ad ſe Cecilium docuit de vniuerſo periculo, cùmq. nulla alia elabendi via relicta ſibi videretur, hortatur vt ſtatim Ducem Norfolcienſem ſupplex adeat, oret, obſecret, & obteſtetur, officijs, lacrymis & promiſsis flectat, quod ille cùm diligentiſsimè, tùm multò etiam ſibi felicius quam vel Duci, vel reipublicæ perfecit. Duce enim adito, cùm in genua prouolutus, vim lacrymarum effudiſſet, deprecatus præterita, & omnia in poſterum officia pollicitus, iniecta etiã eius rei ſpe, quam tunc ſciebat Ducem expetere, eiq. fore exitioſam (matrimonij nimirum cum Regina Scotiæ ineundi) ad eamq. rem Reginæ conſenſum ſe procuraturum promittens, obtinuit facilè à Duce, homine non valdè neque prudente, neque conſtante, & ſuæ futuræ calamitatis inſcio, & nonnulla etiam cupidi-

Reginæ ac Cecilij refugium.

tate obcæcato (& quod caput eſt, quia Deus religionem ab illo proditam hac ratione vlciſci voluit) vt procerum deſignationem in præſentia remoraretur, quod illi tamen cùm intellexiſſent, iniquiſsime tulerunt & renunciandum Duci iuſſerunt, eo ſe die paraſſe ſibi à Cecilio laqueos ac perniciem, quod euentus paulò poſt declarauit: Cecilius enim in huius beneficij mercedem, præcidendum Duci caput intra biennium curauit; cæteri verò magnates in prouincias ſuas regreſsi partim eius vi qui pro libidine res iam omnes adminiſtrabat, partim indignatione quòd tàm inſolentem potentiam ferre non poſſent, exigui temporis interuallo ferè omnes cõfecti ſunt.

Arma ſumpta pro religione.

40 Solum Northumbriæ ac Vueſtmerlandiæ Comites, ſumptis armis ad partes Angliæ boreales rem proſequendam iudicabant, ſed hyberni temporis incommoditate, rerumq. neceſſariarum inopia afflicti, diu ſuſtinere bellum nequiuerunt.

Itaque Vueſtmerlanus in Belgium, Northumberlanus verò in Scotiam ſe recepit, vbi ab hæreticis breui proditus, contra ius gentium ac regnorum pecunia vēditus, Reginæ paulò poſt ad ſupplicium traditus fuit. Exinde Cecilius nobilitatem Anglicanam ſic affligendam, ſic opprimendam & inter ſe committendam, ſic etiam exhauriendam & ære alieno onerandam, hæreſiq. inficiendā curauit, vt iſtiuſmodi periculi metu nunquam poſteà laborauerit.

41 Feci longiorem propterea de Cecilio iſto narrationē, vt intelligatur quàm exitioſus homo ab initio ſemper extiterit, & omnium ferè malorum in Catholicos machinator. Ille enim non huius tantùm edicti, ſed aliorum omnium tùm edictorum, tùm ſtatutorum Comitialium præcipuus auctor & ſuaſor fuiſſe noſcitur, ita vt verus Catholicorū Aman dici poſſit, de quo diuinæ litteræ ſic loquuntur. Poſthæc Rex Aſſuerus exaltauit ,,

Cecilius Catholicorū Aman

Eſter. 4.

„ Aman de ſtirpe Agag & poſuit ſolium
„ eius ſuper omnes principes quos habe-
„ bat, cunctiq. ſerui Regis qui in foribus
„ Palatij verſabantur flectebant genua &
„ adorabant Aman, qui aliquando dixit
„ regi; eſt populus per omnes prouincias
„ regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſepara-
„ tus,nouis vtens legibus ac ceremonijs,in-
„ ſuper & regis ſcita contemnens, & opti-
„ mè noſti quòd non expediat regno tuo
„ vt inſoleſcat per licentiam, ſi tibi placet
„ decerne vt pereat. Hactenus diuinæ lit-
teræ de Amano illo Iudæorum inimico; & certè hæc omnia proprijſſimè videntur in Cecilium noſtrum conuenire,quãtùm ad odium & machinationes in Catholicos; an verò reliqua conueniant, id eſt, an idem exitus iſtius tragediæ ſit futurus, qui illius in libro Eſter deſcribitur (idem enim modò Deus eſt, eademq. Dei potentia, eadem bonitas & iuſtitia, & ipſiſſima cauſa) & an idem lignum altiſsimum (patibulum inquam illud il-

luſtre quinquaginta cubitorum Mardochæo paratum) huic noſtro tandem Amano reſeruetur, nemo hominum dixerit. Quia iudicia Dei abyſſus multa. *Pſal. 35.* "

42 Vt igitur hanc primam reſponſionis noſtræ clauſulam ad prima edicti verba aliquandò concludamus; dicimus, etiamſi vox illa primo loco poſita nimirum. *Per Reginam*. ideo à Scriba poſita ſit, vt totum Edictum à Reginæ ſenſu ac iudicio profectum exiſtimetur, non tamen ità eſt, ſed à paucorum potius hominum cupiditate, odio, ambitione, atque nequitia. Et quanquam non negauerim huic Edicto aſſenſum à Regina præſtitum fuiſſe (de quo illa rationem Deo redditura eſt) affirmo tamen id non tàm ſpōte, ob eas, quas antè dixi, cauſas, ab illa emiſſum quàm cæterorum importunitate, & Cecilij maximè fraudibus, & impoſturis extortum eſſe; quem veteratorem, non tantum ſuaſorem, & procuratorem iſtius edicti omnium ini-

A'quibus proprie exierit hoc Edictum.

quiſſimi, ſed ſcribam etiam fuiſſe accepimus: nã præter cæteros Angliæ magiſtratus in ſe vnum ambitioſiſſimè collectos, Secretarij quoque officium, ipſe ſolus à Valſingami morte vſurpare voluit. Ab iſto igitur totius rei fabrica proceſſit, ab iſto odioſæ illæ voces ac phraſes in Catholicos, alijs edictis non vſurpatæ, ab iſto contumeliæ ac mendacia in principes Chriſtianos, quæ omnium oculis ac iudicijs manifeſtæ falſitatis, ac impudentiæ reuincuntur, ab iſto tot fraudes & technæ, quot ferè totius edicti lineæ cernuntur, quæ tamen omnia Reginæ nomine diuulgantur.

Raulæi ſchola de Atheiſmo.

43 Et certe ſi Gualteri quoque Raulæi ſchola frequens de Atheiſmo paulò longius proceſſerit (quã modò ita notam & publicam ſuis in ædibus habere dicitur, Aſtronomo quodã Necromanteo præceptore, vt iuuentutis nobilioris non exiguæ turmæ tàm Moyſis legem veterem, quàm nouam Chriſti Domini, inſulſis

quibuſdam facetijs ac dicterijs eludere, ac in circulis ſuis irridere didicerint) ſi hæc,inquam,ſchola radices ac robur ceperit, & ipſe Raulæus in Senatum delectus fuerit, quò reipub. quoque negocijs præſideat (quod omnes non ſine ſumma ratione expectant, cùm primas apud Reginam poſt Dudlæum & Hattonum teneat,& ex gregario propè Hyberniæ milite virum principem ac potentem ſola Reginæ gratia,nullis præcedentibus meritis videant euaſiſſe) quid, inquam, erit expectandum aliud,niſi vt aliquādo edictum aliquod à Mago illo atque Epicuro Raulæi præceptore conſcriptum, Reginæ nomine euulgatum cernamus, quo planè omnis diuinitas, omnis animæ immortalitas,& alterius vitæ expectatio dilucidè, clarè, breuiter, & citra ambages tollatur, & læſæ maieſtatis accuſentur tanquàm reipub. perturbatores, qui contra iſtiuſmodi doctrinam tàm placidam, & ſeſe in carnis vitijs volutantibus

homi-

hominibus ſuauem, ſcrupulos cuiquam aut moleſtias moueant?

44 Atque hoc quidem eſt eorum principum vel peccatum, vel infelicitas, cùm ſummo reipub. damno ac miſeria coniuncta, qui quòd vel ætatis, vel ſexus imbecillitate impediti, rebus ipſis agendis aut examinãdis præeſſe non poſſunt, aliorum ſæpe hominum errata, vel etiam delicta ac flagitia, ſuarum actionum authoritate veſtire coguntur.

45 Sed demus hæc omnia ab ipſa Regina cogitata, meditata, dictata, euulgata eſſe, ponamus ipſius eſſe propria, quæ eius nomine, eius aſſenſu, eius authoritate proferũtur. Quid igitur? an ideò vera erunt, & ſolida? an ideò obtinebunt, vt cuiquam homini forti aut prudenti terribilia videantur, quòd à Regina proficiſcantur, hoc eſt à fæmina peſſimorum hominum conſilijs imbuta, & nequiſſimorum hæreticorum erroribus infecta? an non habemus ex eo quod docet Apo-

Quid dicat edictũ non cuius nomine, cõſiderãdum.

ſtolus

ſtolus, non ſolum ſi Rex aliquis aut Regina, aut Princeps ſæcularis, ſed ſi ipſi etiã Apoſtoli aut Angeli de Cælo, obtrudere voluerint aliud, quàm quòd ab initio acceptũ eſt, in rebus ad religionẽ pertinentibus, id reſpuendum, cõtemnendum, horrendum eſſe? Quid ergo dicemus? certè oppono Reginæ huic omnes Reges veros ac Reginas Angliæ quos vnquàm habuit illa inſula Chriſtianos, oppono huic edicto edicta omnia ac ſtatuta, legeſq. præteritorum principum, qui à primis fidei Chriſtianæ temporibus, vel prudentiæ laude, vel artis militaris gloria, vel Catholicæ religionis pietate excelluerunt, oppono huic vni fœminæ tot & tantos & tàm illuſtres viros, oppono vni Elizabethæ tot Edouardos, tot Henricos, tot nominatiſſimos Anglicani Regni Principes, oppono ipſum Auum Patremq. qui omnes nemine dempto, ſi modo viuerent, huic edicto nouo, inuſitato, inſolenti, hæretico non modo reclamarent, ac reſi- *Galat. 1.*

ſterent, ſed illud tamquam indignum Chriſtiano principe reſignarent, refigerent, atque exterminarent.

Henrici Octaui ſenſus de hoc edicto.

46 Et vt aliquid de Henrico iſtius patre ſpeciatim dicam, de quo ſolo propter grauiſſimā cum Pontifice Romano controuerſiam ac ſchiſma, dubitatio aliqua moueri poteſt, certiſsimè affirmo, extra dubium eſſe debere, quòd hac in cauſa acerrimus fuiſſet (ſi viueret) filiæ ſuæ non tantum aduerſarius, verum etiam vindex, qui vſque adeò defendit ſemper ſacrificij Miſſæ dignitatem, ac reuerentiam, & Confeſsionis Sacramentalis ſanctiſsimū vſum (quarum duarum rerum odio Elizabetha maximè Sacerdotes hodie Catholicos proſcribit) vt præter alios multos, quos ob horum duorum articulorū impugnationem iuſſit morte mulctari, ipſum etiam Cromuelum, regni totius Cancellarium ac Senatorum principem, & ipſius Regis in rebus ſpiritualibus (vt ipſe tūc loquebatur)

ſupremum Vicarium, exterminandum atque occidendum curauerit, quòd iſtarum hæreſeon ſuſpectum habuerit, prout ipſius Angliæ annales teſtãtur; & Catharinam Parram, quæ poſtremo loco vxor ei obuenerat, eadem de cauſa, ſi vixiſſet, interficiendam etiam vt hæreticam deſignauerat, vt ex Sanderi hiſtoria intelligi poteſt.

47 Quam igitur crudelitatem Elizabetha hoc Edicto in Dei ſacerdotes ac reliquos ſui regni Catholicos exercet, id nullo ſanè iure neque antiquo, neque recẽti, neque diuino, neque humano facit, nullo exemplo maiorum ſuorum aut præteritorum principum, ne impijſſimi quidem ſi quis extiterit, nulla approbatione præſentium, ne hæreticorum quidẽ, qui omnes auerſantur tàm immanem hominum Chriſtianorum lanienam, quam iſta in Anglia exercet: ſolos Diocletianos, Maximinos, Decios, Domitianos imitatur, & longè quidem minori, quàm

Sine ratione, & exẽplo furit Elizabetha.

illi ratione. Illi enim,vt verum fateamur, religionem Chriſtianam vt nouam,ac recens natam, & antiquiſsimo Deorum ſuorum cultui contradicentem, impugnabant; at iſtà Catholicam perſequitur, quàm Anglia à prima conuerſionis ſuæ origine complexa eſt, in qua omnes maiores eius vixerũt,in qua ipſa tùm nata, tùm inſtituta & educata eſt,quam ad baptiſmi fontem primò profeſſa, deinde ſæpiſsimè verbis ardentiſsimis confeſſa & conteſtata, & poſtremò in regni inauguratione,vſitata formula, conceptis verbis, & Sacramento ſolemni (quanquam perfidè planè vt euentus declarat) perpetuò à ſe defendendam iurauit.

48 Sed huius perfidiæ vindex erit Dominus, tueantur Catholici patientiam
Pſal. 26. & 30. ſuam, tueantur conſtantiam. Expectent
" Dominum, & viriliter agant, & confortetur
" cor eorum, quia Dominus aderit
1. Mach. 2. opportuno auxilio, nec timeant à verbis
" viri peccatoris, quia gloria eius ſtercus

& ver-

& vermis. Maiori ſonitu verborum legimus edicta in Catholicos promulgata, & maiori longè potentia edicentium; vidimus enim totius orbis imperatorum edicta, non vno loco ſed vbique columnis, ſaxis, parietibus affixa, in quibus erat. Maximinus, aut Diocletianus, aut Domitianus, Auguſtus, Imperator inuictus, Pōtifex Maximus, Conſul decies, Dictator vigeſies, Particus, Ponticus, Arabicus, Scythicus, Gallicus, Britannicus, Germanicus, Pater patriæ, & ſimilia, quibus innuebatur inter cætera, nullam eſſe orbis partem, quæ iſtorum tyrannorum potentiæ non eſſet ſubiecta, quam tamen potētiam omnē cùm in Chriſtianorum perniciē effudiſſent, nihil effecere; quanto minus vnius fœminæ iam vetulæ rabies, & decrepiti ſenis delirans inſania, in vna tantùm Chriſtiani orbis particula furentium, extinguet ſemen Eccleſiæ Catholicæ, quod altiſſimis defixum radicibus in æternum permanſurum ipſius Dei te-

Perſequutorum antiquorum potentia.

Vide Euſebium hiſt. lib. 8. c. 29.

ſtimonio promittitur. De hoc ergo ſecuri videamus deinceps quid habeat hoc Reginæ Cecilijq. Edictum, cuius hoc eſt initium.

EDICTI VERBA.

Eclaratio magnarum turbationum, quæ in rempub. intentantur, per multitudinem Sacerdotum, Seminariſtarum, ac Ieſuitarum, &c.

RESPONSIO.

Hæretico-rum calumniæ.

NArrat Æſopus in fabulis, lupum, dùm ad fontem biberet, vidiſſe fortè infra ſe agnum de riuulo bibentem, & iracundia motum, vel cupiditate potius eum deuorandi, exclamaſſe: Vah peſſimus iſte mihi turbat aquam. Narrant etiam ſcriptores Eccleſiaſtici, & præter eos Cornelius Taci-

Vide Tacitum, & Suetonium in Neronem.

tus gentilis, Neronem, cùm vrbem ipſe voluptatis cauſa incendiſſet, Chriſtianos eo crimine accerſiſſe, & tanquam incendiarios exquiſitiſsimis pænis affectos trucidaſſe. Deus immortalis, quid noſtræ cauſæ ſimilius? Elizabetha regnum Angliæ tranquillum ingreſſa, cùm omnia pacata, ſerena, ac quieta inueniſſet, mutatione deinde religionis Catholicæ, eiectione bonorum, inductione nouarum ſectarum, ac hæreſum, quæ neque finem, neque modum, neque conſiſtentiam habent, ruptione denique fœderum cùm vicinis principibus, alijſq. peccatis ſuis ac ſuorum, ſic turbauit ſibi omnia, vt neque domi neque foris aut pax ſit aut vlla ſecuritas: & modo culpa omnis in Sacerdotes Dei confertur; ſed quo quæſo iure, aut qua iuſtitia? Cecilius ac reliqui reipublicæ Chriſtianæ incendiarij, cùm faces bellorum ac ſeditionum in omnes circumquaque prouincias coniecerint, & tandem metuant ne flammarum pars

aliqua in ipſos fortaſſe reflectatur, homines innocentiſsimos hoc ipſo crimine accerſunt, ſed quanto ſcelere, nemo eſt qui non videat.

Vnde turbationes Angliæ.

50 Non Sacerdotes, Elizabetha, qui in tremendis Dei myſterijs Deum placare curant, non Seminariſtæ, quos vocas, id eſt, Seminariorum, & Collegiorum Catholicorum Alumni, qui ad patriæ ſalutem ſe totos deuouerunt, non Ieſuitæ, qui ſub nominis ſanctiſsimi patrocinio congregati, ad proximorum ſalutem ſaluberrimè ſe impendunt, non ſunt iſti tuarum vel reipublicæ perturbationum cauſæ, ſi quas pateris, vel ſi quas times, ſed illæ potius, quas modò dixi, diuini iuris ac humani per te ac tuos conuulſiones. Obiecerunt quidem Chriſto Domino apud Pilatum Iudæi, quòd commouiſſet plebem: Incipiens à Galilæa vſque

Luc. 23.

» Hieruſalem. idem exprobrarunt Scribæ & Phariſæi Apoſtolis. Et Tertullus Orator apud Felicem Proconſulem, de Diuo

Paulo

Paulo ſic loquitur. Inuenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones. Idem fecerunt poſteà ſeruis Dei vel innocentiſſimis ac quietiſſimis Tyranni omnes, vt odioſo nomine apud populum eos traducerent; ſed calumniæ fuerunt, non crimina. Eodem planè exẽplo dixit aliquando Rex Achab impius ad Eliam Prophetam. Tune es qui conturbas Iſrael? At reſpondit ei vir Dei ea libertate qua tantum virum decuit. Non ego turbaui Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini. Hæc igitur vera cauſa, hinc (mihi crede) omnis turbatio, hinc omnis fundi tui calamitas, Elizabetha, quòd Dominum dereliqueris, quòd viam regiam religionis Chriſtianæ ac Catholicæ deſerueris, ſcriptum eſt enim. Quis reſtitit ei & pacem habuit?

Act. 17.

3. Reg. 18.

Iob 9.

51 Si tu maiorum tuorum clariſſimorum veſtigijs inſiſtens, rempub. Anglicanam, quo ſtatu acceperas, eodem con-

Reginæ in gubernando errata.

ſeruaſſes, ſi principum præteritorum inſtitutis obſequuta, religionem Catholicam, prout iuraueras, defendiſſes, ſi populo tibi ſubiecto ius æquabile ex antiquiſſimis Regni legibus adminiſtraſſes, ſi externa fœdera cum ſocijs & amicis principibus maiorum more ſeruaſſes, ſi regnandi vices, ſucceſſionem & ſeriem (quod prudentiſſimi principes ſtudiosè facere ſolent) vel matrimonij tui prole, vel alia quacumque legitima ratione explicatam, certam, & indubitatam reddidiſſes: regnares tu quidem hodie Elizabetha, feliciſſimè ac tutiſſimè (ſi quid ego iudico) nec iam ingraueſcente ætate, poſt triginta & trium annorum regnum, tantopere, vt ipſa quereris, tibi laborandum eſſet, vel de vitæ tuæ, vel de reipublicæ periculis auertendis.

52 Sed cùm tu nequiſſimorum hominum conſilijs decepta, omnia planè contrà feceris, cùm Eccleſiam Dei perſequuta fueris, religionem euerteris, maio-

rum placita ac leges contempſeris, & partem populi tui nobiliſſimam, maximamq. (Catholicos intelligo) per quos ad Regni faſtigium perueneras, honoribus,officijs, dignitate priuatos, iniurijs omnibus ac contumelijs affeceris, & bonorum ſpoliatione, exilijs, carceribus, mortibus ad deſperationem vſquè(quantùm in te eſt) afflixeris, cùmq. horum loco homines nouos ac impios, id eſt, vel Atheos, vel Hæreticos, ad gubernacula reipublicæ extuleris,& iſtorum vel licentia, vel malitia vniuerſum regnum tuum hæreſibus,ſectis,diſſidijs,impleueris,cùm lege ſeueriſſima ac capitali(quod nullibi vnquam opinor factum) ſanciueris, ne „ quis affirmet, vel exiſtimet, vel coniectet „ quidem, cuinam poſt te regnandi ius de- „ beatur, tamquàm ſi omnia tecum interire velles, cùm externos vndequaque circumcircà principes infinitis prope iniurijs laceſſieris,nec fœdus vllum cùm vllo conſeruaueris, cùm omnia turbaueris,

omnia ſuſpecta, dubia, perplexa, exulcerata, infeſta reddideris: quid cauſæ eſt, cur nunc in homines innocentiſsimos & pacatiſsimos, in Dei nimirùm Sacerdotes, in ſcholares, ac litterarum ſtudioſos, in viros religioſos, & Eccleſiaſticos, turbationum iſtarum culpa conferatur?

Digladiatio inter Proteſtantes & Puritanos.

53 Et vt nonnulla magis particulatim excutiã, turbatio illa non exigua, quæ totis his annis proximis interceſsit, & vſque durat, Proteſtantibus tui regni cùm Puritanis (quæ duæ ſectæ cæterarum omnium potentiſsimæ ſunt) nec multùm quidem abſimilis ei, quæ rigidorum ac mollium Lutheranorum eſt in Germania contentio (niſi quòd hæc tuorum acrior ac ferocior, & ad cædes multò propenſior) hæc, inquam, turbatio, hic tumultus, hæc hominum furentium inter ſe digladiatio, qua inuicem ſibi bella, mortes, ac cædes minantur, qui libris plurimis ſcriptis & impreſsis (quòd recentiſsimè vidimus) ſe inuicem ſic conſcindunt, vt à nul-

lis probris, contumelijs, aut minis abſtineant, immò claſſicum belli ciuilis non obſcurè perſonant, arma intentant, partium ſuarum vires, multitudinem, ac incenſos odijs animos manifeſte iactant; horum, inquam, furor, nùm aliquo modo ad Sacerdotes Catholicos, aut Seminariſtas pertinet? Et tamen, quantum reipublicæ tuæ periculum, quantum tibi ipſi exitium ab iſta turbatione timēdum ſit, nemo eſt hominum prudentium qui non perſpiciat. Vtraque enim pars acerrimis (vt dixi) odiis in alteram inflammata, non exiguis etiam ſectatorum ſuorum opibus, armis, & numero inſoleſcit, nec ſpes eſt aliquandò componi poſſe hanc controuerſiam, cùm omnes (pro hæreticorum more) pertinaciſſimè à ſe ſtare cùm veritatem omnem, tum ipſum etiam Euangelium vociferentur.

54 Altera præterea illa regni tui perturbatio, grauiſſima quidem & periculoſiſſima, quæ de ſucceſſore tuo futura *Controuerſia ac litigium de regni ſucceſſione.*

quotidie expectatur, an à Catholicis viris ſata eſt, vel ab hominibus religioſis aut præsbyteris regno tuo importata? certè illi, maiorum more, ac ſororis tuæ nobiliſſimæ religioſiſsimæq. fœminæ Reginæ Mariæ exemplo, cupijſſent te perilluſtri aliquo matrimonio nobilitatam cernere, & ex eo prolem, quæ funeſtam hanc tàm diræ controuerſiæ calamitatem auerteret. Neque enim alterius cuiuſquam rei intuitu, Princeps illa ſanctiſsima, connubium poſt tot annorum virginitatem integerrimè conſeruatam iniuit, niſi vt reſpublica tuta eſſet ab iſtius exitij ingenti periculo, quod modò Regiæ prolis defectu ſubitura neceſſariò videtur. Neque certè intelligimus, qua alia de cauſa, hæretici homines, qui tibi aſtiterunt, ab hoc te conſilio tàm ſancto ac ſalubri alienarent, niſi vt ad ſeditiones ac turbationes viam ſibi aperirent, qua ſuo arbitratu rempublicam deinde te decedente, euerterent. Nam virgi-

nitatis honos ac meritum tàm exiguo apud eos in precio eſt, vt illius cauſa eos id feciſſe, nemo eſt qui exiſtimet.

55 Illorum igitùr iniquitate, tuaq. & Anglorum omnium infelicitate factum eſt; vt quæ res in omni bene conſtituta republica eſſe deberet clariſsima atque explicatiſsima (eò quod omnis concordiæ & vnionis inter ciues caput ſit) ea in tua ſit obſcuriſsima atque implicatiſsima, ius ſcilicet regnandi. Non enim poſſum honoris tui cauſa, tuo ipſius iudicio hæc tribuere, neque ea credere quæ per iſtos de te feruntur, dicere nimirùm te ſolitam, nihil de his ad te poſt obitum pertinere, neque modò curare quid tunc agatur; immò lætari te nunc, ac quodammodo eorum motuum, ac bellorum cogitatione quæ poſt te futura ſunt prægeſtire, quò intelligant homines quanto bono per te, cùm adeſſes, fruerentur: hoc inquam, de te non facilè crediderim; eſſet enim dignior

vox Atheo quodam, Anaxagora, aut Nerone aliquo, Tyranno, qui vrbem incenſam oculis ſuis cernere gaudebat, quàm Principe, quæ proſpicere reipub. in futurum debet. Accipio igitur hoc à tuis ſic dictum ac vulgatum, vt improbitati ſuæ nominis tui obiectu patrocinentur.

Pericula ex incerto ſucceſsionis iure.

56 Sed vt vt fuerit, manifeſtũ ſanè eſt, certiſſimam, ac propè ineuitabilem regno tuo ex hac vna re impẽdere ruinam. Nam cùm multi ſint, qui hanc regnandi ſucceſſionem iure ad ſe pertinere exiſtiment (ſex nimirum, vel ſeptem vt minimùm, vel eò etiam plures nobiliſſimæ ſimul ac potentiſſimæ familiæ) nec quiſquam eorum alteri de loco priori cedat, ſed omnes æquè proximè ius ſuum collocent; quid expectandum erit, niſi vt infeſtiſſimis ſtatim armis res tota decertetur, nec ab eis recedatur quoad vnus aliquis cæteris omnibus oppreſſis, & extinctis, rerum omnium ſolus potiatur? quod

tamen eò tardiùs ac difficiliùs fieri poſſe videtur, non ſolum ob rei ipſius cæcitatem, iuriſq. ignorantiam, qua quid cuiq. legitimè conueniat neſcitur (atque hoc lege tua ſtudioſiſſimè procuratum eſt) ſed etiā ob diuerſa partium ſtudia, & ingentia ſectarum inter ſe odia ac diſsidia, quibus futurum eſt (niſi Deus hoc malū miſericorditer auertat) vt vel Angli ipſi penitus ſe inuicem conficiant, vel externorum principum armis oppreſsi conſumantur.

57 Poſſem plura iſtiuſmodi periculorum ac turbationum exempla proferre, quæ tamen ad Catholicos nullo modo pertineant. Repertus eſt nuper (his inquam menſibus proximis) homo phanaticus, qui Londini, hoc eſt in ipſa imperij tui arce, Chriſtum palàm ſe eſſe profiteretur, & prophetas ſuos (homines certè ſecundum ſæculum non infimæ ſortis, in ipſo foro ad concionandum emitteret, qui cùm inſanis vocibus à Deo ſe miſſos

Nouus Chriſtus in Anglia.

omnes dicerent,& omnem ferè gubernationem tuam, totumq. religionis tuæ cultum vehementiſsimè conuellerent, & in nõnullos etiam Conſiliarios nominatim inueherentur, auditi tamen à populo fuerunt,magna ſanè patientia & ſilentio, eò quòd noua adferre viderentur, quorum iam cupidas & prurientes aures, ex licentia hæretica, vnuſquiſque habet. & cùm tandèm Hattoni Cancellarij maximè opera (quòd ei iniquiores eſſent) cõprehenderentur, & ad extrema etiam ſupplicia poſteà ducerentur, tantum abfuit vt reuocarent quod affirmauerant, vt pro more etiam hæreticorum omniũ Euangelium eſſe aſſererent,quicquid eorum furor & inſania docuerat: immò & centena neſcio quot ſectatorum millia, intra inſulam ſe habere iactitabant, quod ego ad oſtentationem quidem ab iſtis dictum accipio, eſt tamen planè iudicium multorum, non deeſſe fautores plurimos ſtultiſsimo etiam huic hære-

ticorum generi, ſiue illi ex Puritanis, ſeu ex familia amoris, ſeu ex Anabaptiſtis, ſeu Iudæis, ſeu ab alia quacunque fece ſint. (Nunquam enim inquit Diuus Epiphanius tàm abſurda hæreſis nata eſt, quæ ſuos non habeat ſequaces) nec abfuiſſe putatur maximorum quoque motuum periculum, ab iſta noua noui Chriſti molitione, ſi vel alieno tempore non fuiſſet per ipſum cepta, vel opportuno, per magiſtratum, non fuiſſet intercepta.

Epiph. lib. 1. cont. hæreſ.

58 Ab iſtiuſmodi igitur hominibus, Elizabetha, id eſt, à tota fece & colluuie hæreticorum ac atheorum hominum, tibi tuoq. regno motus, turbationes, pericula, peſtes, exitia timenda ſunt, ſi rectè rem perſpicias, non à Catholicis viris, aut Dei Sacerdotibus: illi enim nouarum rerum architecti, cùm nullibi conſiſtant, cùm nihil certi habeant, quod ſequantur, cùm nullum reuereantur, nulli cedant, cùm vniuerſa ſomnia, fraudes, ac furores ſuos Euangelia dicant: quid mi-

Vera Reginæ ac reipub. pericula.

rum ſi omnia perrumpant, omnia miſceant, omnia ſurſum ac deorſum perturbent? Singula enim ſuis commodis metientes, res quidem temporibus, tempora item rebus, & hæc vtraque ſenſibus ſuis, vel ſuorum potius capitum inſanijs accommodant, modò hoc, modò illud docentes, reuocantes, mutantes, pernegantes, prout vel è re ſua duxerint, vel furor ille & inſania dictitauerit, qua illo ipſo temporis momento aguntur.

Hæreticorum mira adulatio ac nequitia.

59 Harum rerum illuſtriora vel miſerabiliora potius exempla non aliunde profectò petere, Elizabetha, quàm ex tua repub. & ex tua ipſius memoria poteris. Excidere enim tibi non poteſt, quàm ſe paraſiti iſti nequiſſimi ad omnem patris tui Henrici Regis voluntatem, ſeu voluptatem etiam dum viueret, ac infelicitatem accommodauerint, vt nouam, ſcilicet, religionem quandam, pro libito excogitatam, quæ tamen nec cum Catholica conueniret, nec cùm vlla ſectarum,

quæ

quæ antea vel poſt exorta ſit, commercium haberet, tamquam purum Dei Verbum, ſententijs ſuis approbauerint.

60 Mortuo deindè Henrico, obliuiſci non potes, quo modo illi ipſi, authores fuerint Edouardo Semeyro Regis pueri auunculo, vt contrà ius faſq. & expreſſum Henrici Regis defuncti teſtamentum, omnem in ſe vnum transferret poteſtatem, Protectoris nomine, & religionem ab Henrico relictam, ordinumq. calculis confirmatam mutaret. In qua mutatione, cùm ipſe Semeyrus nondùm certum religionis genus delegiſſet, quam reipub. obtruderet; notum eſt, quam abiectè & ſeruiliter hæretici illius temporis, non tantùm domeſtici, ſed Bucerus etiam & Petrus Martyr ſceleratiſſimi Apoſtatæ, ex Germania recentiſſimè in Angliam euocati, ad omnem Semeyri Ducis voluntatem ac nutum, hac in re ſe obtulerint, vt illud nimirùm pro Dei Verbo populis proponerent,

Bucerus ac Martyr primi ad Anglos Apoſtatæ.

quod ipſe Comitijs à ſe congregatis ac gubernatis, euulgandum eligeret; quòd opere paulò poſt perfecerunt: relictis enim tùm Henrici tùm Lutheri decretis tanquàm vetuſtis iàm ac malè ſecuris ſtationibus, Zuinglianum dogma ac religionis formulam, tanquàm portum ſibi recentiùs oſtenſum, magno ventorum impetu, verborumq. flatu apprehenderunt.

61 Sed euerſo deindè & extincto Semeyrò, cùm Dudlæus rerum potiretur, & non ſolum Henrici patris tui religionem, ſed etiam ſobolem extinguere cogitaſſet; an non concionatores hæretici ad omnem illius quoque ambitionem ac tyrannidem ſtatim ſe applicuerunt? an non ſceleratiſſimum illius edictum, quo Regina Maria, teq. excluſis, Ianam Ducis Suffolcienſis filiam, quam Dudlæi filius in vxorem duxerat, Reginam declarauit, concionibus illi ſuis è Verbo Dei, ſcilicet, & euangelio ſuo mendaciſsimò pe-

titis, magnis vociferationibus confirmarunt, promouerunt, extulerunt? Nam quid Cranmerus Pſeudometropolitanus Cantuarienſis (infinitis licet beneficijs Patri tuo obſtrictus) hac in re contrà filias eius fecerit (de quo poſteà læſæ maieſtatis, Maria regnante, iuſtiſsimè condemnatus fuit) Quid etiam Sandus Londini concionatus? quid Iuellus Oxonij meditatus fuerit, ſi repentina rei mutatione præuentus non fuiſſet, nemo eſt Anglorum qui neſciat. Et tamen vterque iſtorum poſteà per te, Epiſcopatibus iniquiſsimè ſunt aucti, homines tàm perditæ conſcientiæ, vt in re tàm manifeſtæ nequitiæ apertiſsimo ſceleri ſeruire non recuſauerint.

Cranmerus. Sandus. Iuellus.

62 Sed videamus quæ inde ſunt deinceps conſequuta. Maria regnum ingreſſa, conticuerunt iſti aliquantulũ, vt diſpicerent quid actura, & quam in partem ſe datura eſſet: cùm verò in id ſeriò incumbentem Reginam cernerent, vt reli-

Hæreticorum furor ac inconſtantia.

gionem Catholicam reſtitueret, omnibus ſtatim furijs agitari ceperunt, pugiones (res inaudita) in concionatores Catholicos dum verba facerent è ſuggeſtis immittere, ſclopetos explodere, & quod omnibus inſanijs maius eſt, in aliã hæreſim ſtultiſsimam prorumpere, non eſſe ſcilicet ex Dei verbo permittendum, vt mulieres rerumpub. gubernacula ſuſcipiant. Itaque prodijt ſtatim liber ille peſtilentiſsimus Goodmani, contrà fœminarum regimen, inſcriptus, cùm ipſi paulò antè tantopere laboraſſent, pro regno Ianæ ſtabiliendo, quod rebus ſuis commodum futurum exiſtimabant, qua vna etiam ac ſola ratione (vtilitatis nimirùm ſuæ) tui quoque regni initijs, Elizabetha, applauſerunt, rati (id quod verum experti ſunt) te omnia iterum innouaturam, & eorum licentiæ res Eccleſiaſticas permiſſuram.

Goodmani liber cõtra mulierum regimen.

63 Sed quid tu iàm tandèm, tàm exigui tẽporis progreſſu experta ſis, in hac tãta

eorum

eorum inconſtantia, omnes vident,& libri eorum ſcripti loquuntur. Illi enim in varias diuiſi ſectas (vt erat neceſſe) te etiam diſcerpere, ſi fieri poſſet, cuperent: nec contenti ea licentia dogmatizandi, qua per te ampliſſima & miſerrima, & reipub. tuæ calamitoſa fruuntur, vellet eorum quiſq. etiã cæteris eminere, & ſolã te totamq. poſsidere. Quod cùm fieri nullo planè modo poſsit, nec tu vlla ratione poſsis eorum hac in re furoribus ſatisfacere, facilè intelligi poteſt, quàm non ſolùm infenſis, ſed infeſtis etiã animis te aſpiciant, perditamq. cupiant ij omnes à quibus diſſentis, quantæq. indies turbationes tibi ab eis expectandæ ſint, quamquàm illi, vt operarij ſubdoli, quò hæc pericula tua propiora non cernas, continuis te vocibus in Catholicos excitant, hoc eſt, in genus hominum cùm natura quadam ſua ſeu conſuetudine, tùm inſtitutione etiam quietum, pacificum, & principibus ſubditum, qui didicerunt ab

Catholicorũ natura.

Rom.13.

Apoſtolo ſubeſſe: Non ſolùm propter
» iram, ſed etiam propter conſcientiam:
quòd hæretici tui cum Luthero & Calui-
no, libertate ſua Euangelica, omninò
deteſtantur, exiſtimantes nulla poteſta-
te humana conſcientias ſuas ligari poſ-
ſe, quò minus agant quod ſibi per Dei
verbum licere, aut libere potiùs ipſi di-
xerint.

Luth. de cap. bab. & in proœmi. ad edict. Imper. Calui. lib.4. inſtit. cap.10.§.5.

64 Itaque ex hac vna re ingentis ſanè
momenti diſcrimen oritur, quales quiſ-
que Princeps ſubditos habeat, Catholi-
cosne, an hæreticos; quod omnium fe-
rè ſeptentrionalium regnorum motibus
ac perturbatione, temporibus noſtris di-
dicimus: nec vnquam maiores tui tàm
diuturna regnandi ſerie inſulam iſtam
poſſediſſent, ſi alijs ſubditis quàm Ca-
tholicis imperaſſent, & ſi tu milleſimam
iniuriarum afflictionumq. partem, quas
paſſi ſunt Catholici, hoc triginta trium
annorum tuorum ſpacio, in hæreticos
tuos intuliſſes, non ea fuiſſent vſi patiētia

qua illi, nec ſceptrum hodiè tuum inconcuſſum maneret.

65 Sed dices tandèm (& hoc eſt totius cauſæ ac criminationis tuæ caput præcipuum) negari non poſſe, vtcumque iſta domi ſe habuerint, impendere tibi ac vniuerſæ reipub. tuæ, à ſummo Pontifice, ac Rege Hiſpaniarum nonnulla pericula, Catholicos autem eiuſdem eſſe cùm his principibus religionis, ac conſequenter etiam confœderationis, & multò maximè Sacerdotes, qui è Seminarijs in Angliam immittuntur, cùm horum Principum liberalitate, hæc ipſa Seminaria ſuſtententur, eòq. fiat, vt non tantùm religionis ſocietas, ſed beneficiorum etiam obligatio, Sacerdotes hos prædictis Principibus, id eſt, hoſtibus (vt ais) tuis, addictos teneat.

Præcipuũ criminatio nis caput in Catholicos.

66 Ad quæ ego, vt breuiter ac dilucidè reſpondeam, dico, quidquid ſit de præmiſſis iſtis, veriſſima ſint quæ de inimicitijs tuis cùm his principibus, &

Reſponſio veriſsima

de periculis inde manantibus, ſuſpicaris, ſint etiam certiſſima (prout ſunt) quæ de ſocietate, ac communione religionis cùm eiſdem, & quæ de magnis beneficiorum acceptorum vinculis obiectas: nunquam tamen vera, legitima, ac Chriſtiana cõſequutione inde poterit deduci, quod de conſpiratione inferis, aut quod de bellorum ac turbationum confœderatione criminaris, niſi particulatim id de quoquam probetur; quod hactenus nunquam in vllo Sacerdote aut homine Catholico contigiſſe, ſuo poſteà loco liquidiſſimè demonſtrabitur.

67 Dixi, legitima ac Chriſtiana conſequutione, quæ ratione ac charitate nititur, quia violenta, ac tyrannica non negauerim, quiduis ex quouis contra ſanctiſsimos, innocentiſsimoſq. viros inferri poſſe; quo exemplo legimus Genſericum Vandalorum Regem Arianum, Catholicos omnes Africanos calumniatum

Victor de perſecut. Vand. li. 1. pag. 420.

eſſe, atque afflixiſſe, quòd litteras Vltramarinas àb hoſtibus (vt dicebat) ſuis, de religione accepiſſent, & quòd cùm eis qui imperio parebant Conſtantinopolitano confœderati eſſent, eò quòd eiuſdem eſſent cùm illis communionis. Quæ barbari, quæ Tyranni conſecutio? Legimus etiam Iulianum Apoſtatam ad bellum contra Perſas tendentem, Chriſtianos Aſiæ eiuſdem planè inſimulaſſe criminis, id eſt, confœderationis cùm Perſis initæ, quia vna nimirùm vtriſque religio. Idem de Maxentio Tyranno Romano tradunt hiſtoriæ, quòd cùm venire contrà ſe Conſtantinum ex Britannia intellexiſſet, multoſq. haberet Chriſtiani nominis in caſtris ſuis militantes, calumniam indè Maxentium ſtruxiſſe fidelibus Romanis, quaſi ſecretis cùm hoſte molitionibus conſpiraſſent. Eſt igitur hæc Gentilium Tyrannorum atque hæreticorum fraus non inſolita.

Iulianus.

Maxentius

68 Et ne longius abeam ad externa,

Mira tyrānis Anglicana,

ſuppetunt nobis abundè huius rei exempla, domeſtica, de conſequentijs ſcilicet violentiſſimis, ac tyrannicis planè illationibus, quibus viri digniſſimi atque innocentiſſimi in regno tuo, Elizabetha, his annis præteritis cōtrà omne ius diuinum ac humanum, contra leges patriæ, contra morem maiorum, contra totius iuſtitiæ publicæ vel ſpeciem vel vmbram, inſpectante atque frem̃ente infinitorum penè hominum theatro, iniquiſſimè, ſceleratiſſimè, crudeliſſimè oppreſſi, damnati, atque extincti ſunt. Vnus, quòd Romam viderit: alter, quòd Papæ benedictionem acceperit: alius, quòd Pontificia authoritate Sacerdos fuerit ordinatus: nonnullus, quòd in Seminarijs vltramarinis fuerit educatus: quidam, quòd inuicem certis locis ac temporibus inter ſe conſpiraſſe fingerentur, qui nunquam anteà ſe mutuò viderant, nec illa loca ſimul attigerant: multi, quòd domeſticis perſuaſiſſent in auita fide perma-

nendum, hæreſimq. deteſtandam: omnes denique quòd in patriam religionis Catholicæ vel docendæ, vel defendendæ, vel amplificandæ cauſa redijſſent.

69 Contrà hos omnes ad tormenta, ad carceres, ad ſuſpendia, ad Martyria, ad immaniſſimas viſcerum exenterationes ac lanienas, valuit hæc barbara, hæretica, & plus quàm turcica tuorum, Elizabetha, iudicum, quæſtorum, procuratorum, actorum, & carnificum conſequentia. Papiſtæ ſunt, ergò quicquid dicant, proditores ſunt. Eiuſdem ſunt cùm Pontifice Romano, & cùm Rege Hiſpaniæ cæteriſque principibus huic ſtatui noſtro inimicis, religionis, ergò etiam & confœderationis, ſi corda inſpiciantur, quicquid interim ore in contrarium clamitēt. Item, Papæ ſumptibus, ac Regis Hiſpaniarum eleemoſynis, in exilio & in Seminarijs ſuſtentantur, ergò ſine dubio pro illis exploratores ſunt contrà Patriam. Redeunt in Angliam vt religionem ac fi-

Conſequētiæ iniquiſſimæ.

dem ſuam alios doceant, ergò etiam vt eos abducant ab obedientia ſuæ principis, vt hoſtibus externis ſocient, & vt bellorum, cædium, ac ſeditionum ſint authores.

Abſurda.

70. Quis non videt iſtiuſmodi argumentis Apoſtolos ipſos, & omnes primitiuæ Eccleſiæ ſanctiſſimos Patres & Doctores, proditores ac rerumpublicarum perturbatores dici potuiſſe, qui zelo fidei incenſi hinc inde per diuerſa regna ac regiones ſe effundebant, vt Chriſti religionem diſſeminarent, à qua abhorrebant tamen illius temporis, tùm Principes, tùm etiam reſpublicæ?

71 Quis non videt nullum Chriſtianis hominibus ſub Turcis, ſub Mauris, ſub Perſis, ſub Æthiopibus viuendi locum futurum, ſi hanc Anglorum ſequerentur regulã? à cuius tamen iniquitate, cùm aliàs barbari ſint, longiùs abſunt, quàm iſti noſtri hæretici, qui politiores videri volunt, & reipſa multò ſe crudeliores præ-

ſtant. falſa igitur & planè impia & immanis eſt illa argumentatio Edicti tui, Elizabetha, qua iniquiſſimè fit conſequēs, propterea Sacerdotes, Seminariſtas, ac Ieſuitas proditores eſſe, ac turbationum authores, quòd clàm in Angliam ad fratres ſuos vel docendos vel in fide confirmandos redeant, quòdq. alia functionum ſuarum munera, legitimè atque religiosè obeant, quanquàm te illud prohibente, cuius rei poteſtatem à Domino non accepiſti. Atque huius quidem rei rationes ampliſſimæ iuſtiſſimæq. redditæ iam ſunt, duabus illis doctiſſimis ac pijſſimis Apologijs, quas antè nominaui, viri digniſſimi ac Illuſtriſsimi Cardinalis Alani, quibus clariſsimè demonſtratur, calumnias has eſſe, non conſequutiones aut probationes, nec vnquàm adhuc contrà quemquam eorum, qui tanto numero occiſi in Anglia fuerunt, peccatum vllum in rempublicam cōuinci potuiſſe, licèt omnibus nequitiæ machinis ad id

Supra in præfatione.

elicien-

eliciendum hæretici ſint vſi.

Inſtitutio Seminariorum.

72 Docent prætereà eædem hæ Apologiæ, qua occaſione, quibus cauſis, quo fine, quibus adiumentis, qua Patriæ dignitate, qua vtilitate & fructu, Seminaria Anglicana in partibus vltramarinis erecta ſint, qua item inſtitutione & diſciplina viuant Alumni, quid præ ſe ferant, & quo animo in Patriam abſolutis ſtudijs reuertantur. In quibus omnibus nihil certè præter zelum ac ſummam pietatem, nihil præter fidem in Patriam, nihil præter amorem, religionem ac inſignem deuotionem inimicus ipſe reperiat.

Elizabethę infelicitas.

73 Summa igitur tuorũ nequitia, ſumma infelicitate tua, Elizabetha, in hanc fraudem adducta es, vt hos viros tales ac tantos, inimicos tibi & hoſtes fingas; nulla enim reſpub. Chriſtianè inſtituta, & minimè omnium tua, maiorum tuorum ætate, eiuſmodi homines amore ſummo non complecteretur, non expeteret, non ſingulari ſibi ornamento futuros exiſtimaret.

maret. Quid enim memoria hominum admirabilius vnquam hiſtorijs proditum eſt, quàm adoleſcentes ingenuos, nobiles etiam ac locupletes, maiori ſaltem ex parte (nam ad manifeſtam illã calumniam, qua Edictum tuum affirmat, vel ſcelerum conſcientiam, vel rei familiaris inopiam in cauſa eſſe, quòd partes tuas deſerant, ſuo loco poſteà copioſè reſpondebitur) quid, inquam, mirabilius, quàm iſtiuſmodi iuuenes, quibus domi commodè ac lautè liceret viuere, ſolo religionis ardore (cuius tamen ſpeciem, cùm te regnante, id eſt, Eccleſia Anglicana afflicta atque oppreſſa nati fuerint, nunquàm oculis conſpexerunt) relictis patria, parentibus, amicis, & quæcunque huius vitæ chariſſima habentur, in terras exteras exilio voluntario ſe effundere, tanta profectò animorum contentione, magnanimitate, & conſtantia, vt neque tuos exploratores, neque carceres, neque carnifices aut equuleos tuos (nam ab inſula

etiam recedentibus imminent hæc omnia) neque maris terræve pericula, neque exulantium incommoda, aut difficultates, præ religionis ſtudio & ſalutis æternæ deſiderio pertimeſcant?

Alumnorũ ſtudia in Seminarijs

74 In exilio autem poſiti quid? an pænitentia fortè ducuntur, more adoleſcentium? an dolent? an gemunt amiſſa? an inducias à te aut à legibus tuis crudeliſſimis petunt? vel oblatas accipiunt? Ex altera verò parte, nùm ſoluti iàm metu, & iuris ſui arbitrijq. facti (vt ætas illa plerunque fert) inanium rerum ſtudio, morum licentia, aut vitæ ambitione, aut vanitare abducuntur? minimè quidem, ſed contrà planè, ſumma animorum alacritate, ac ſingulari fortitudine, mira quoque contentione in arctiſsimam litterarum, & virtutis diſciplinam ſpontè ſe tradunt; qua cùm præſtituta ſtudiorum ſuorum tempora ac curricula peregerint, & non vulgari eruditione inſtructi fuerint, nùm beneficia, nùm digni-

tates,

tates, nùm honores, nùm opes, quæ his etiam in partibus abundè eis paterent, concupiſcunt? ne hoc quidem. quid igitur? redire volunt in patriam, vt fratribus proſint, vt domeſticorum ciuiumq. ſuorum ſaluti æternæ inſeruiant, reuerti cupiunt ad tuas cruces, tuos carceres, tuos equuleos, tua patibula, Elizabetha, atque hoc nemine iubente, nemine conducente, nullo principe ſua illis conſilia (quòd tu coniectas) communicante, ſed ſolùm vocante Deo, inſtigante conſcientia, hortante pietate, impellente denique ſuorum in Anglia ſpirituali neceſsitate,

75 Et nonne tibi hic digitus ille Dei adeſſe videtur, quem ille etſi infidelis, in diuinis Moyſis miraculis Ægyptiacis animaduertit? quòd ſi adeſſe ſentis diuinam virtutem, & tamen contrà pugnas (neque enim illa quæ modò dixi à carne certè & ſanguine manare poſſunt) quid ni tibi dicatur, quod ad Saulum *Exod. 2.*

Act. 9. perſequentem de cælo dixit Dominus.
„ Durum tibi eſt contrà ſtimulum calci-
„ trare? Quid ni quod ad Scribas & Pha-
Act. 5. riſæos dixit Gamaliel. Si conſilium hoc
„ à Deo eſt, non potes id diſſoluere, niſi for
„ tè Deo repugnare velis? Quod ſi ita eſt, inane prorſus exiſtimari debet, quòd in reliquo Edicti tui frontiſpicio ſequitur; ſic enim habet.

EDICTI VERBA.

Cum prouiſione valde neceſſaria de remedio ad malum auertendum, edicto ſuæ maieſtatis publicata.

RESPONSIO.

Quodnam Reginæ remediū contra Sacerdotes.

Quodnam igitur remedij genus prouidiſti, & edicto publicaſti ad malum hoc auertendum, ſeu, veriùs, ad bonum hoc ac benedictionem

Dei impediendam, ne viri nimirum Catholici, ad Regnum tuum, patrimonium ſuum, ac patriam communem regrediantur? & ne maiorum ſuorum ac tuorum fidem in ea publicè doceant? an fortaſſe rationibus, aut argumentis, aut diſputationibus conuincendos præcipis, vt aliter ſapiant? minimè quidem exiſtimo; nunquam enim vllis hoc à te precibus hactenus obtinere potuerunt, vt ad quamcunque legitimam diſputandi cùm tuis conditionem admitterentur, de qua tamen re plurimæ extant eorum humillimæ, iuſtiſsimæq. petitiones, libris impreſſis euulgatæ. Quid igitur facis? quodnam eſt genus remedij tui? quænam prouiſio? eadem certè, quæ fuit Antiochi Regis, cùm religionem auitam hebræorum extinguere niteretur, de quo Scriptura ſacra ſic loquitur. Et miſit Rex per manus nunciorum in Hieruſalem, vt ſequerentur leges gentium terræ, & prohiberent holocauſta, & ſacrificia, & placationes

Antiochus.

1. *Mach.* 1.

fieri

„ fieri in templo Dei,& quicunque non fe-
„ ciſſent ſecundum verbum Regis Antio-
„ chi morerẽtur. Hæc eadem prouiſio fuit Neronis,Domitiani,Decij,cæterorumq. perſequutorum Chriſtianæ fidei, cui ferro tantùm, flammiſq. occurrendum putauerunt. hæc eadem fuit Scribarum & Phariſæorum ac Principum Iudææ præcipientium Apoſtolis, ne loquerentur amplius in nomine Ieſu. hæc eadem fuit Genſerici ac Hunerici Regum Arianorum, vt antè dixi, ne conuentus celebrarent ad diuina myſteria Catholici, nec miſſas agerent, vt ipſa edictorum verba habent, additis minis, terroribus, ac pænis grauiſsimis in eos, qui contrà facerent, aut veræ religionis cultum promouerent.

Imperatores Romani.

Scribæ & Phariſæi Act. 4.

Vict. hiſt. Vandal. lib. 2.

77 Eadem planè tu præcipis, Elizabetha, niſi quòd nonnihil etiam ſæuiùs quã illi,& multò certè (meo quidem iudicio) inconſideratiùs, dùm vniuerſum regnum tuum tàm minutim euoluendum præci-

Elizabetha crudelior antiquis perſequutoribus

piſ, vt Sacerdotes hi ad necem quærantur, cùm illi, prudentiùs longè ac moderatiùs, eos tantùm puniendos cenſuerint, quos manifeſtæ tranſgreſſionis accuſatio feciſſet reos. Sed quid? an prouiſiones iſtæ authoritate regia, aut imperatoria promulgatæ, remedia tandèm illa attulerunt, quæ impij ſperabant? nequaquam, ſed contrà potiùs incendium quod illi extinguere cupiebant, longè magis auxerunt; eſt enim fides Chriſtiana Catholica, vt optimè notauit Diuus Auguſtinus, tamquam flamma, quæ quãtò magis comprimitur, eò magis in ſe reflexa augeſcit, & velut torrens rapidus, cui quò magis obſiſtitur, eò ferocius intumeſcit, & ruptis tandèm repagulis maiori impetu prolabitur. Huius rei exempla nullibi commodius quàm ex tua ipſius repub. ſumi poſſe videntur. Dum enim initio regni tui mitiùs aliquantò cùm Catholicis ageres, dum nullum adhuc vehementiſſimè vrgeres, nullum ad-

S. Auguſtinus.

modum premeres, vel ad ſectæ tuæ participationem, vel fidei antiquæ abnegationem: omnia ſanè tranquilliori longè curſu incedere videbantur, nec audiebantur magnæ querelæ, nec inſignis aliqua diſſenſio aut repugnantia cernebatur, nec deerant (quanquam malè) qui Eccleſias veſtras, vt vobis placerent ac gratificarentur, corpore ſaltem, etſi non animo, frequentarent. At poſtquam premere ac ſtringere cepiſtis, & nimiùm emungendo elicere ſanguinem, poſtquam ſæuire, affligere, & perſequi elegiſtis: longè alio loco res veſtra eſt, & erit ſine dubio in dies peiore.

78 Veriſſimum enim eſt quod vir ſanctiſſimus, ac doctiſſimus Gregorius Nazianzenus in Iulianum ſcripſit Apoſtatam, omnium ſcilicet cogitationum ſtultiſſimam fuiſſe illam, qua putabat religionem Catholicam perſequutione extingui poſſe, cùm eius virtute ac potentia nitatur, qui vniuerſum mundum ac cæli

Naz. ora. 1. in Iulian. Apoſtatam.

cardines

cardines ſuſtentat. Non igitur remedium eſt, quod tu præcipis ac præſcribis Edicto tuo, Elizabetha, vt cuſtodiantur nimirùm portus regni tui, & cætera loca arctiſſimè obſeruentur, vt viæ publicæ, fora, compita, triuia cuſtodijs ſæpiãtur, vt ciuitates, oppida, caſtra, villulæ omni diligentia perluſtrentur, vt domus, hoſpitia, diuerſoria, tabernæ exquiſitiſſimè explorentur, vt ſuſpecti ad carceres, conuicti ad cruces, dubij ad iudices, obuij omnes ad examina pertrahantur, vt non tantùm rei, & delinquentes, ſed fautores etiam & receptores, hoſpites, occultatores, conſcij, maieſtatis tuæ læſæ condemnentur; non (inquam) hæc remedia tua, ſed pericula ac damna erunt, non ſolatium tibi, ſed ſollicitudinem adferent, non leuabunt te ſed onerabunt timoribus, non ſecurum regnum tuum, ſed ſectum, diuiſum atque perturbatiſſimum reddent; nec dubites de euentu, nam certiſſima tùm ratione, tùm etiam experien-

Elizabethę ſollicitudo inutilis.

tia, & infallibili Chriſti promiſſione nititur hæc prædictio, nec vnquam euacuabitur.

Tyrannorũ ac perſequutorum exitus.

79 Vidimus enim iam exitus eorum omnium, quos anteà nominaui, perſequutorum Eccleſiæ, qui laſſi tandèm & iniquitate fatigati, Deo pænas de ſceleribus dederunt. De Antiocho quidẽ, cùm ſæuiſſimè cogitaret, ac ſuperbiſſimè loqueretur, & ſe Hieroſolymam minaretur ſepulchri Iudæorum congeriem factu-

2. Mach. 9. rum, dicit Scriptura diuina. Sed qui

Antiochi.

» vniuerſa conſpicit Deus, percuſsit eum » inſanabili plaga. vt enim finiuit hunc » ſermonem, apprehendit eum dolor dirus » viſcerum, & quidem iuſtè, quippe qui » multis, & nouis cruciatibus aliorum tor- » ſerat viſcera, ità vt completum in illo fuerit quod ei prædixerat ſextus Macha-

2. Mach. 7. bæorum martyr moriens his verbis. Tu » autem ne exiſtimes tibi impunè futurum » quòd contrà Deum tentare pugnaueris. Hæc ille de illo.

80 Herodes vterque miſerè percuſſi à Deo perierunt. Iudæorum vniuerſo orbi extitit terrori ſeueriſſimum ſupplicium, Imperatorum quos recenſui, alter ſua manu, alter ſuorum, ferro diriſſimè extincti fuerunt. De Hunnerico Rege Ariano ſcribit Victor Vticenſis, qui negotio interfuit, quòd poſt atrociſſimum illud edictum, quo octauo ſui regni anno, Catholicorũ conuentus, communionem ac miſſas prohibuerat, & ore cruento (vt ipſe loquitur) omnem Catholicorum multitudinem inſectari ceperat, & edictis feralibus totam Africam commouere, morte præuentus, ſcatens vermibus expirauit, tanta diuinæ iuſtitiæ demonſtratione, vt non corpus eius, ſed partes quædam corporis ſepeliri potuerint.

Hærodum. Iudæorum. Imperatorum. Arianorũ.

Hiſt. Vandal.

81 Quid hic dicam niſi cùm propheta, qui Rex etiam erat: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: ſeruite Domino in timore, apprehendite

Pſal. 2.

Apoſtrophe ad Elizabetham.

diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus. Diſce quæſo, Elizabetha, Deum eſſe, & hunc eundem eſſe, qui alios antè te Reges, Reginas, Monarchas, Imperatores, te etiam longè potentiores puniuit. Cogita iam te longius progreſſam eſſe, cùm centurias aliquot Sanctiſsimorum Martyrum non ſolum occideris, & ſanguinem eorum innocentiſsimum effuderis, ſed carnes etiam proieceris ad cæli volatilia, & omni Chriſtianæ ſepulturæ honore prohibueris. Clamat de terra ſanguis iſte, clamant de patibulis carnes iſtæ, & clamor earum in aures Domini exercituum, & Dei Sabaoth introiuit. Propè eſt dies, vt reddas de his omnibus rationem Domino, an iſti nimirùm, vel tui, in domo Dei & Angliæ regno tumultuati fuerint, an illi, vel tui, turbatores extiterint, quidquid Edictum tuũ falſiſsime eis imponat, ac malitiosè calumnietur. Intereà tamen videamus, quorumnam iſti criminum particulatim

accuſentur, contrà quos tàm funeſti Edicti atrocitas erat neceſſaria; nam quæ hactenus ferè dicta ſunt, velitationem potius quandam referre videntur, quàm iuſtam pugnam, quæ verò ſequuntur, congreſſum habebunt, Deo bene iuuante, denſiorem.

SECTIO II.

Edicti verba.

QVamquam non defuerunt nobis probabiles quædam cauſæ, quibus perſuadere nobis potuiſſemus, nunc tandem poſt triginta ferè & trium annorum gubernationem noſtram, quibus Deus Omnipotens perpetuò nos conſeruauit in pacifica regni noſtri poſſeßione, inimicorum noſtrorum violentam, ac ferocem malitiam (præcipuè vero Regis Hiſpaniæ) qua tot annis iam conatus eſt, ſine vlla iuſta cauſa rempub. noſtram turbare, languidiorem tandem, & Præfatio.

infirmiorem futuram: hocq. non ſolum in illo, verum etiam in alijs omnibus, qui ab illo pendent, & quòd hæc inimicitia mutaretur aliquando in humorem aliquem magis pacificum, quo Rex iſte idoneè diſponeretur, ad viuendum nobiſcum, & cùm cæteris Chriſtianis principibus vicinis ſuis in concordia, eaq. ratione pax aliqua vniuerſalis in repub. Chriſtiana conſtitueretur, quæ modò illius ſolummodò bellis, armisque, & nulla alia prætereà re perturbata cernitur. Nihilominus tamen ex præſentibus eius actionibus quæ maiori apparatu ac potentia ſuſcepta ſunt, quàm vnquam anteà, contrarium planè perſpicimus, quò nobis ſanè perſuademus, placuiſſe tandem omnipotenti Deo exercituum, permittere ruinam, & correctionem iſtiuſmodi hominum, qui induci non poſſunt, vt rebus ſuis contenti, pacificè viuant; & hac de cauſa permiſiſſe huic Regi, vt hac ætate ſua iam inclinata (quæ paci eſſet aptior) & eo tempore quo maximè contentus eſſe deberet dominijs proprijs, abſque hoc vt aliena

Reginæ querela in Regem Hiſpan.

Regis ætas

per

per vim & arma quæreret (plures enim hodie coronas, plura regna & nationes, plures etiam diuitias terrenas poſſidet, quàm vlli anteà maiorum ſuorum, aut vllus vnquam Christianus princeps habuit.) Nunc, inquam, hac ætate permiſiſſe Deum, vt bellum longè iniuſtiſſimum, & vniuerſæ reipub. Christianæ periculoſiſſimum, contrà præſentem Franciæ Regem incipiat, quod etiam manifeſtum eſt illum contra nos quoque ante biennium cogitaſſe, vt regna ſcilicet noſtra inuaderet, hocq. eo maxime tempore, quo nobiſcum de pace tractabat, ſed Deus ei reſtitit, & non ſolum ipſi, ſed vniuerſo etiam exercitui ſuo iuſtam cauſam reſipiſcentiæ dedit. Regis potentia.

RESPONSIO.

TOtum hoc Edicti exordium, vt vides (ſtudioſe Lector) contra Regem Hiſpaniarum eſt, cæteroſq. principes, qui authoritatem eius, Exordium & finis edicti.

aut

aut amicitiam ſequuntur, cùm intentio tamen Edicti & finis præcipuus, in eos Sacerdotes ac religioſos nationis Anglicanæ feratur, qui in Seminarijs vltramarinis educati, domum redeunt, religionis Catholicæ perpetuandæ cauſa, & qui in Anglia tecto eos hoſpitiove recipiunt, vel vlla re iuuant, vt poſteà cernes.

83 Si autem percontcris quid hominibus iſtis cùm Rege Hiſpaniæ? vel quid Regi tàm potenti cùm pauperum iſtorum cauſa? Reſpondeo, hoc eſſe ſceleratiſsimum Elizabethæ, ac ſuorum artificium, vt hæc coniungant, & ad maiorem rei inuidiam odiumq. penitus inuoluant. Dum enim in rebus omnibus, quæ religionis cauſa ab Anglis tractantur, Pontificis Romani, & Regis Catholici nomen permiſcent, quos vt ſuæ reipub. hoſtes teterrimos ac coniuratos traducunt, faciliorem aditum faciunt, ad omnes deinde illas criminationes & calum-

Artificium iniquiſsimum.

nias, quas liberas cuique eſſe voluit, omnibuſq. contrà hos Dei ſeruos patere, de læſa ſcilicet maieſtate, de proditionibus, de conſpiratione, alijſq. grauiſſimis criminibus, quæ in eos tanquam patriæ hoſtes concipere cuique libeat. Quod quidem non eſt recens aut hodie natum artificium; iàm enim dixi antiquorũ quoque id Tyrannorum ac hæreticorũ fuiſſe, Maxentij nimirùm, ac Iuliani Apoſtatæ, & valdè proprium Genſerici Regis Ariani, quem ſcribit Victor Vticenſis ea maximè de cauſa ſtruxiſſe calumniam Catholicis Africanis, quòd à Pontifice Romano, conſolationem ac Epiſcopos, per epiſtolas petijſſent. Quo exemplo vſam eſſe ſemper Elizabetham, contrà Sacerdotes ac Seminariorum Alumnos, breuiſſimè hic oſtendam.

Vict. lib. 1. de perſecut. Vand. pag. 420.

84 Cùm antè annos plus minus vigintiquatuor, primum Anglorum Catholicorum Seminariũ in ciuitate Duacenſi, regionis Belgicæ, ſingulari Dei bonitate

Reginæ conatus contra Seminariũ Anglorũ Duaci.

ac prouidẽtia ceptum fuiſſet, & eò confluxiſſet non ſpernenda iuuentutis Anglicanæ multitudo, vt Catholicè inſtitueretur (quòd quidem domi non licebat) Elizabetha grauiter rem accipiens, primùm iuuenes illos vt à ſe transfugas & Hiſpaniarũ Regi addictos, quòd Duacena ciuitas ditionis eſſet regiæ; deinde etiam, vt Hiſpanicæ factionis ac nominis complices (quòd illa cæteriq. hæretici ob egregiè ab Hiſpanis defenſam religionẽ Catholicam, latiſsimèq. ipſorũ virtute propagatũ imperium, in odium ingens ac inuidiam per illa tempora adduxerant) apud omnes accuſabat, eoq. nomine nõ longè pòſt tumultuante iam vniuerſo ferè populo Belgico, è ciuitate Duacenſi eijciẽdos curauit, idque per ipſam etiam plebem Catholicam, falſiſsimis à ſe confictis criminationibus deceptã, quaſi aliquid ſecretioris commercij inter Hiſpanos religionem Catholicam propugnantes, & Anglos eiuſdem religionis cauſa

exulan-

exulantes, neceſſe fuiſſet interuenire.

85 Eiectos igitur tandem Duaco hos Alumnos, & Rhemos vſquè Galliæ, pedeſtri itinere, maximiſq. difficultatibus ac periculis diffugientes, inſequitur Elizabetha eiſdem planè criminationibus ac calũnijs, apud Regem Galliæ alioſq. principes, affirmans, Hiſpanorum aſſeclas & exploratores eſſe. cuius rei inuidia parùm abfuit, quin è Gallia quoque eoſdem expuliſſet, niſi Summi Pontificis Nuncius Apoſtolicus, ac nobiliſsimus Dux Guiſianus (ad cuius gubernationẽ Rhemenſis etiam ciuitas pertinebat) pro eo quem quiſque eorum habuit, religionis Catholicæ ſingularem zelum, ſumma contentione apud Regem interceſſiſſent. Rhemenſe Anglorum Seminariũ

86 Poſteà verò, hoc eſt, anno Domini ſeptuageſimo nono ſuprà milleſimum & quingenteſimum, cùm Pontifex Romanus Gregorius decimus tertius, perſpecta vtilitate fructuq. prioris Semi-

Romani Anglorum Seminarij initium.

narij, & incommodis quibus affligebatur permotus, alterum Romæ ſuis ſumptibus ſubſtituendum decreuiſſet, & ad eam rem Guilielmum Alanum Theologiæ Doctorem (de quo anteà mētionem fecimus) Duaceni & Rhemenſis Seminarij moderatorē, Romā euocaſſet, vt ſimilis vtrobique ſtabiliretur iuuentutis inſtitutio, & alterum alteri domiciliū mutuò ferret ſuppetias: Regina, re intellecta, vt hoc ſanctiſsimum Pontificis ſtudium, ac ſingulare in gentem Anglicanam beneficium ſuſpectum redderet ac odioſum, emiſit ſtatim Edictum, quo affirmabat, ſe pro certò ac comperto habere, dictum Pontificem, Regem Hiſpaniæ, ac Ducem Florentinum, conſpirationem quandam inijſſe de bello Angliæ, iunctis viribus, inferendo, & hanc eſſe tùm Alano tùm alijs nonnullis ſuæ nationis Sacerdotibus cauſam, cur vrbem adijſſent.

Figmētum egregium.

87 Neque his contenta criminationibus à ſe compoſitis Elizabetha, anno

deinde ſequente, hoc eſt octuageſimo, cùm nonnullos Sacerdotes (pro Seminariorum inſtituto) ex Seminario Romano in Angliam redire intellexiſſet, edictis plurimis declarauit, hoc totum à Pontifice Romano, ac Rege Hiſpaniæ proficiſci, nec religionis negotium, ſed conſpirationis contrà rempub. Anglicanam agi, eaq. de cauſa inſtitui iuſsit contrà viros quoſdam doctiſsimos ac pijſsimos, quos per id tempus Dei permiſsione cóprehenderat (Campianum nimirùm, Sheruinum, Briantum, Paynum, Cotámum, & alios) accuſationes nequiſsimas de varijs proditionibus, certo die Romæ, & Rhemis, cùm Pontifice & Rege Hiſpaniarum initis; cùm ipſi tamen rei nunquam vel ſe mutuò illis locis ac temporibus aſpexiſſent, neque verbum vllum cùm Pontifice aut Rege habuiſſent vnquam, niſi fortè Pontificis benedictionem, ſi quis eorum Romæ fuiſſet, pro more accepiſſet. His tamen de ſceleribus

Frequẽtes Reginæ criminationes in Regem Hiſpaniæ.

Inſignia mendacia.

leribus damnati, ac morti crudeliſsimæ traditi fuerunt, & multi deinceps eorum exemplo, tanquam Regis Hiſpaniarum exploratores ſupplicio ſunt affecti, qui nunquam Regem ipſum aut Hiſpaniam viderant.

Seminaria Anglorum in Hiſp.

88 Cùmq. hoc tot edictis prioribus factitatum ſit ab Elizabetha, vt omnis Seminariorum labor ac induſtria Hiſpaniarum Regi, pòſt Pontificem inſeruire exiſtimetur; non eſt mirum, ſi iàm, poſteaquam in ipſis etiam Hiſpaniarum Regnis, Seminaria Anglicana inſtitui cognouerit, maiori vocis impetu, id ipſum proclamet, & acrioribus ſtimulis excitata, dirioribus quoque crudelitatis furijs Sacerdotes indè proficiſcentes exagitandos edicat. Sed quid in hoc nobiliſsimo tandem Rege, ob tàm eximiam in gentem Anglicanam pietatem ac munificentiam, accuſandum illa ſuſcipiat, videamus.

89 Tria omninò ſunt accuſationis ca-

pita, quæ hoc Edicti exordio contrà Regem inſtituitur. Primùm, quòd triginta 1.
ferè annorum ſpacio quæſierit ſemper Reginæ ditiones Rex turbare, ſine vlla legitima cauſa per illam data. Secundùm, quòd idẽ ferè cùm principibus reliquis vicinis fecerit (ſuis regnis ſcilicet nõ contentus, licet ampliſsimis) & quòd in præſentia, illius tantùm armis, ac nulla alia ratione reſpublica Chriſtiana turbata cernatur. Tertiùm verò eſt, quòd bellum iniuſtiſsimũ, ingenti ſuo ac Chriſtianæ reipublicæ periculo, contrà præſentem Franciæ Regem nuper ſuſceperit. Ad priora igitur duo capita facilius diſcutienda, nulla erit, opinor, expeditior via, neque explicatior, quàm vt breuiter intueamur, quid quiſque iſtorum Principum, vel ſibi inuicem, vel cùm vicinis fecerit, & vter vtrius, aut iniurijs laceſsitus, aut beneficijs deuinctus extiterit.

Accuſationis capita in Regem.

2.

3.

90 Philippus ergò (vt hinc exordiar)

Regis Philippi ad Angliam appulſus.

huius nominis ſecundùs, cùm patre Imperatore adhuc ſuperſtite, princeps eſſet Hiſpaniæ, regnum Angliæ, comitatu nobiliſsimo ingreſſus eſt, ad annum Domini milleſimum quingenteſimum quinquageſimum quartum, menſe Iulio, vt Mariam Reginam ſanctiſsimam, ac præſtantiſsimam fœminam (petente id totius regni Senatu, quod Parlamentum vocant) in matrimonium duceret. Quod cùm piè ac feliciter, bonorum omnium gratulatione feciſſet, inuenit Elizabetham hanc, ſecundam Henrici Regis Octaui, ex Anna Bolena filiam, comprehenſam iam ac carceri traditam; primùm quidem in Caſtro Londinenſi, deinde apud oppidum quod Vuodſtochium dicitur, prouinciæ Oxonienſis, ſub cuſtodia equitis cuiuſdam aurati, cui nomen Henricus Benengfildus.

Elizabethę captiuitas.

91 Cauſa comprehenſionis fuit, quòd ex multorum confeſsione, aliјſq. indicijs manifeſtis, pro comperto habebatur, ip-

ſam

ſam Elizabetham participem fuiſſe rebellionis, quam paulò ante Regis ingreſſum, Thomas Viatus eques auratus, alijq. tùm hæretici, tùm Hiſpanorum inimici, ad has ipſas Reginæ nuptias turbandas excitauerant, armata manu ad portas vſquè Londini percurrentes. Cùmque negotium hoc pergraue Reginæ eiuſq. Conſiliarijs videretur, & Elizabethæ crimen non tantùm Viati accuſatione, qui ſceleri præfuerat, ſed aliorum etiam multorum atteſtatione conſtaret, qui extremo ſupplicio ob hanc conſpirationem affecti fuerant: in eam partem inclinabat Regina cùm ſuis, vt iuſtum etiam ſupplicium de Elizabetha, more maiorum, ſumeretur. Quod cùm intellexiſſet Rex, miſertus, pro ſumma ſua humanitate, tùm ætatis, tùm ſexus iſtius Principis, ſic egit cùm Regina, vt non tantùm vita, ſed libertas etiam Elizabethæ, ac reditus quoque in Aulam, breui concederetur.

Thomas Viatus.

Elizabethę ſecundum periculum.

92 Vixit deindè vniuerſo ferè Elizabetha tempore, quo Maria regnauit, in domo quadam ſua, quæ Hatfild vocatur, in prouincia Hertfordienſi, quæ Londino abeſt ad triginta plus minus milliaria. Cùm autē illuc multi hæretici ac viri turbulenti clàm ad eam conuenirent, videbatur res Conſilio Anglicano non diſſimulanda omninò, ſed ſtatim comprimenda. Cæterum, ne Regem ac nobilitatem Hiſpanicam, qui iam Elizabethæ ſimulatione, precibus, ac fraudibus decepti, impensè ei fauebant ac patrocinabantur, offenderent, tantiſper rem differendam cenſuerunt, quoad alia tandèm manifeſtior conſpiratio erumperet, quod anno deindè ſequente, menſe Martio contigit. Nam Antonius Kingſtonus, eques auratus, Richardus Vdallus, Ioannes Throgmortonus, Ioannes Danielus, Guilielmus Stantonus, & alij nonnulli ſcelerati viri, & hæretici, inter ſe coniurauerant, & conſilium etiam ſuum,

Antonius Kinſtonus & alij conſpiratores.

cùm Regis Galliæ Oratore, qui Londini reſidebat, contulerant, de ærario Regio ex improuiſò intercipiendo, quo magna pecuniæ vis incluſa tenebatur, ad bellum Gallicum, quod eo tempore gerebatur, proſequendum.

93 Sed cùm res per vnum è conſpiratoribus euulgata fuiſſet, nonnulli capti & extremo ſupplicio affecti fuerunt; alij in Galliam diffugerunt, vnde auxilium ſibi ad eam rem ſuſtentandam expectabant, ſi conſpiratio domi ex animi ſententia ſucceſſiſſet. Atque hic iterum, cùm multis indicijs teneretur Elizabetha iſtius quoque conſpirationis conſcia fuiſſe, ſeriò deliberatum fuit, an ex legum præſcripto punienda eſſet, quòd omninò cenſebant Reginæ Conſiliarij, ſed iterum Regis eam fauor, ac Hiſpanorum patrocinium, qui maieſtati ſuæ à cōſilio fuerant, periclitantem protexit. Ne tamen iſti nihil agere viderentur, aut reipub. Anglicanæ pericula

Elizabethę ſecũda per Regem liberatio.

negligere, id cenſuerunt, duos viros Catholicos, ſpectatæ fidei ac nobilitatis, apud eam in eius domo collocãdos eſſe, qui diſpicerent quid ageretur, quinam conuentus hominum in poſterum fierent, hacq. vna re ſatis proſpectum fore reipub. incolumitati, exiſtimabant.

Thomas Popus. Robertus Gagius.

94 Huius igitur decreti exequendi cauſa, miſſi eò fuerunt Thomas Popus eques auratus, & Robertus Gagius vir etiam nobilis, qui ea fide ac diligentia, qua poterant, obſeruabant, quæ palàm ac publicè fiebant, ſed Elizabetha, partim blanditijs ac muliebri aſtutia, partim religionis Catholicæ ſimulata profeſſione, ità viros bonos decepit, ac ſecuros reddidit, vt ipſis inſcijs, ac nihil tale ſuſpicantibus, clàm per internuncios, anno nondùm vertente tranſegerit, cum Thoma Staffordo apud Gallos exulante, vt repentè in Angliam veniens, ſe Regem ediceret, eò quod ex antiqua Ducum Buchingamiæ ſtirpe prognatus eſſet,

Tho. Staffordus.

quo

quo titulo, & Elizabethæ matrimonio, (vtrumque enim fuiſſe pactum intelligitur) ſe ſatis potentes fore contra Mariam exiſtimabant.

95 Nec ſegniter ſanè flagitium deſignatum exequutus eſt Staffordus. anno enim Domini 1557. vigeſimo quarto die Aprilis, paucis admodum comitatus, id eſt, non amplius quàm quadraginta viris, è Gallia vectus, caſtrum cepit maritimum in prouincia Eboracenſi, cui nomen eſt Scaraburgum, ea ſpe, vt vel ille ad Elizabetham ſtatim, vel illa ad iſtum cum ſuis copijs ſe conferret. Sed cùm ille citiſſimè, Comitis Vueſtmerlandiæ diligentia interceptus, ac paulò poſt Londini cùm nonnullis alijs ſuæ factionis capite plexus fuiſſet, totius criminis reliquiæ in Elizabetha tantùm hæſerunt, quod periculum vt vitaret, percommodè cecidit Regis Philippi in Angliam menſe præcedente ex Belgio reditus, cuius ſingulari patrocinio ite-

Tertia Elizabethę cō ſpiratio.

rum iàm ac tertiò ſupplicium euaſit.

Varia Regis in Elizabetham beneficia.

96 Deindè cùm idem Rex ſecundò in Belgium, ad bellum cùm Gallis gerendum anno 1557. Iulij primo proficiſceretur, nec amplius in Angliam ad Mariæ vſquè obitum rediſſet, nunquam tamen deſijt ex illo etiam loco, fauore & beneficijs Elizabetham proſequi. Comiti enim Ferienſi, qui Oratoris loco in Anglia remanſerat, in mandatis dederat, vt aliquoties illam ſuo nomine inuiſeret, ac conſolaretur. Mortua etiam Maria Regina, vniuerſam eius pretioſam ſupellectilem, & ingentem ferè gemmarum theſaurum, quem illa, vel ab ipſo Rege, vel ab Imperatoribus Carolo ac Ferdinando, alijſq. Principibus dono acceperat, ad vnam Elizabethæ petitionem, munificentiſſimè dedit, licet multis centenis millibus æſtimarentur.

97 Paucis verò antè Mariæ obitum mēſibus, cùm Galli quattuor tantùm aut quinque dierum obſidione media hyeme

Caletum oppidum recuperaſſent, quod munitiſſimum & inexpugnabile planè videbatur, & trecentis plus minus annis in Anglorum poteſtate permanſerat; tanto damni iſtius ac iacturæ ſenſu permotus eſt benigniſſimus Rex, vt quanquam nulla ſua vel minima hoc accidiſſet culpa, (nam manifeſta Anglorum hæreticorum proditione, qui ad oppidi præſidium calidiſſimè ſe inſinuauerant, factum fuiſſe conſtat, quod etiam à Stephano Gardinero Epiſcopo Vuintonienſi homine prudentiſſimo compertum, ac Mariæ Reginæ prænunciatum fuerat) quamquam etiam cohortes ſubſidiarias, quas ex vicino Dunkercano oppido, Rex (intellecto Gallorum aduentu) ſumma diligentia Caletum miſerat, Angli qui in præſidio erant, perfidè recuſaſſent; nec immunis quoque ab iſta proditione Elizabetha ipſa putaretur, quò maiorem Mariæ Reginæ dolorem inureret, vitamq. breuiorem redderet (quod ex eo etiam po-

Caleti amiſsio Regiſq. Philippi benignitas.

Alia Elizabethæ proditio contra Mariã.

ſteà confirmatum eſt, quòd iſta Regnum adepta, Baronem Vuentfordum Caleti gubernatorem, ac totius proditionis caput, apud Gallos anteà latitantem, non tantùm non puniuit, ſed magno in honore habuit.) Rex tamen pro ſumma ſua in Anglos beneuolentia, tantoperè Caleti reſtitutionem cupiebat, vt cùm clariſſimam paulò poſt de Gallis victoriam, apud ſancti Quintini oppidum cõſequutus fuiſſet, nullam planè ab eis pacis conditionem admittere voluerit, niſi illa primo loco fuiſſet, vt Caletum Anglis redderetur. Sed videte facinus, obſtupeſcite ſcelus; Elizabetha, ne vel tantum beneficium à ſororis ſuæ marito, quam mortalium omnium peſſimè oderat, vel ab eo Rege acciperet, quem animo iàm, ob religionis morumq. diſſimilitudinem, inimicum ſibi deſignauerat, vel vt Henricum Gallorum Regem placatiorem ſibi hac ratione redderet, qui regni ſui initijs obſtiterat, affirmans An-

Inſignis nequitia.

gliæ regnum ad nurum ſuam Mariam Scotorum Reginam pertinere, eò quod Elizabetha ex matrimonio illegitimo prognata fuiſſet, vel denique ex inuidia, vt Hiſpanorũ vires hoc modo imminueret, quæ ex recenti victoria Quinctiniana vniuerſo ferè ſeptentrioni ceperant eſſe formidabiles: Rege inconſulto, cùm Gallis de pace tranſegit, ea etiam conditione, vt Caletum retinerent. Quod cùm illi ad pacem quoque abs Rege obtinendam, ex Anglorum chirographis oſtendiſſent, miratus Rex tantam leuitatem, ſciens tamen nulli ſua ſpontè fieri iniuriam, honorificentiſſimum etiam ipſe cùm Gallis fœdus inijt, quod ſanctiſſimè deindè ſemper, ac chriſtianiſſimè ad hanc vſque diem conſeruauit.

99 Atque hæc Hiſpaniarum Regis in Elizabetham opera, dùm in Anglia & vicinis regnis ſubſiſteret. In Hiſpaniam verò regreſſus quid? eodem planè bonitatis ac conſtantiæ exemplo, amicitiæ

Regis patiẽtia cum Elizabetha.

fœdera per totos triginta annos, ſumma cùm patientia, iniurijs etiam maximis acceptis tenuit; hocq. non mediocri ſanè multorum virorum bonorum dolore, vel aliquandò etiam querela, qui nimium hac in re Maieſtatem ſuam religioſam vel ſcrupuloſam etiam exiſtimabant erga fœminam quæ omnia turbaret, & quæ nullius iuris aut religionis rationem duceret, multaſq. aiebāt perdi hac Regis māſuetudine occaſiones Dei cauſam vindicandi, & illam pro meritis tractandi; ſed nihil horum apud Regem valuit.

Regis conſtantia in tuendo fœdere.

100 Itaque cùm anno Domini 1567. regni verò Elizabethæ decimò, vniuerſa ferè Anglicana nobilitas, perſpectis peſſimis gubernationis initijs, inter ſe conſpiraſſent, vt remedium aliquod adhiberent (de qua re anteà in Cecilij detectione egimus) nunquam à Regijs miniſtris, qui Belgio per ea tempora præerant, obtinere potuerũt, vt quicquam opis ad eam rem præſtarent, quod Angli à voluntate

Regia, ne fœdus cùm Regina violaſſe videretur, profectum interpretabantur.

101 Anno deinde ſequente, cùm Northumberlandiæ ac Vueſtmerlandiæ Comites, Baro Dacrius, alijq. viri nobiles ac Catholici non pauci, arma pro religione ad partes Angliæ boreales ſumpſiſſent, tantuſq. ad illos populi concurſus fieret, vt Reginam in maximas anguſtias redacturi viderentur, ſi vel mediocri externarum virium acceſſione fuiſſent cōmodo tempore adiuti; nullum tamen illis latum eſt abs Rege auxilium, eòq. factum eſt, vt ab inceptis paulò poſt, magno Reginæ emolumento, deſiſterent.

102 Neque hoc ſolùm fecerunt miniſtri Regij, qui in Belgio erant, quò Reginæ ſatisfacerēt, ſed præterea etiam, cùm illa quereretur adhuc præiudicium ſibi in eo fieri, quòd rebelles ſui ac fugitiui (eo enim nomine Catholicos hæreticam tyrannidem declinantes vocabat) ditionibus Regis reciperentur: viſum eſt Com- Angli Catholici è Belgio eiecti.

mendatori maiori, qui illa tempeſtate prouincijs Belgicis præerat, Anglos plurimos, in Reginæ gratiam, dominijs etiam regijs ad tempus prohibere; quod anno ſeptuageſimo quinto cùm factum fuiſſet, biennio ferè integro, per aliorum principum ditiones, errantes iam ſecundò exularunt, neque prius reuertendi facultatem receperunt, quam poſt gubernatoris mortem, ac totius Belgij amiſsionem (quæ duo illo biennio contigerant) Illuſtriſsimus Princeps Ioannes Auſtriacus, parta iam victoria nobiliſsima Gemlocenſi, miſericordia motus eos reuocauit. Extitit tamen perinſignis in eos, vniuerſo hoc eiectionis tempore, regis ipſius pietas, qui nunquam paſſus eſt ſubſidia pecuniaria, quæ ad vitæ ſuſtẽtationem cuique eorum elargiebatur, cuiuſquam ſuaſu aut importunitate auferri. Ex quo etiam intellectum eſt, aliorum potius cõſilio, quàm ſua propenſione Maieſtatem ſuam aliud illud in-

Mira Regis benignitas.

ſolen-

ſolentiſſimæ poſtulationis caput de Anglorũ eiectione Reginæ conceſſiſſe. Hinc tamen cuique manifeſtum fiat, quàm inuito animo, religioſiſſimus Rex ab iſtius fœminæ amicitia, quàm ſemel amplexus fuerat, recederet, etiam tunc, cùm illa non tantùm à Deo, ac bonorum omnium ſocietate, fideliumq. communione, ſed à maiorum etiam ſuorum inſtitutis, cæterorumq. principum more, ac omnis humani iuris obſeruantia, receſſiſſet.

103 Quod poſteà etiam magis declarauit Rex, anno nimirũ ſeptuageſimo octauo, cùm Iacobus Geraldinus Hybernus, ac Thomas Stucleyus Anglus, equites aurati, Hybernorum omnium Catholicorum nomine, ſuppetias à ſua Maieſtate peterent, contrà intolerabilem Elizabethæ ſæuitiam, qua religionis cauſa, grauiſſimè totam Hyberniam diuexabat, nobiliſſimamq. imprimis Geraldinorum, Comitumq. Deſmondiæ familiã iniuſtiſſimè opprimebat: quãuis enim horum calami- Auxilia pro Hybernia petita.

ratis atque exitij, Rex pro ſua egregia pietate & cleme̅tia plurimùm dicatur miſertus; ſubſidium tamen ne daret fœderis ſe religione prohibitum exiſtimabat, immò factum eſt, vt Stucleyo deindè, cu̅ cohortibus nonnullis, quas à Pontifice Romano obtinuerat, ex Italia redeunti, ne portus quidem commoditas in Hiſpania præſtaretur; quæ cauſa Stucleyo fuit, vt Hiſpaniã prætergreſſus, Vliſſiponem ſe contulerit, & indè Luſitaniæ Regis inuitatu, in Africam deflexerit, vbi etiam mortem obijt: Iacobo verò Geraldino anno ſequenti auxiliares copias ſecundò petenti, Rex iterum negauit, quoad tandèm Alexandro Segæ Nuncio Apoſtolico, Pontificis nomine multoties ſupplicanti, exiguã quandam Cantabrorum ac Gallecorum manum conceſſit, ea co̅ditione, vt ſuo etiam arbitratu, quò vellet, in cauſæ Catholicæ ſubſidium tranſmitteret.

Thom. Stucleyus.

Iacobus Geraldinus.

104 Atque hanc tuendæ amicitiæ cùm Elizabetha, quam illa ſæpiſſimè fregerat,

rat, ſequutus eſt Rex ſeueritatem atque conſtantiam, ad annum vſque octuageſimum octauum, hoc eſt, per annos amplius triginta, quando infinitis propemodum iniurijs laceſſitus, ac religionis cauſæ afflictiſſimæ commiſeratus, expeditionem illam maritimam parauit, de qua hic loquitur & queritur Reginæ Edictũ, & de cuius ſucceſſu tantopere gloriatur, & de qua mihi quoque deinceps commodior dabitur dicendi locus.

105 Cæterùm intereà contemplemur, ſi placet, quidnam Elizabetha tandem Regi Catholico, pro vniuerſa hac quam dixi beneuolentia, beneficentia, ac conſtantia rependerit. diſpiciamus qua menſura ad regulam Euangelicam remenſa fuerit. Ac primùm quidem, vt illud ſilentio prætereatur, quod ſupra memoratum eſt, de ſecreta illa ac præpropera cum Rege Gallorum, dum bellum adhuc arderet, contrà hunc Regem, pactione (hoc enim fortaſſis vel incōſtantis, vel cupidi,

Elizabethę in Regem retributio.

vel

vel leuis animi ac fœminei potius argu-
mētum quibuſdam videre poterit, quàm
nequiſſimi) peringrati tamen certè non
potuit non eſſe, tàm recenti adhuc tan-
torum beneficiorum acceptorum me-
moria.

106 Sed quæ indè ſequutæ ſunt Eliza-
bethæ actiones, facilè declarant, quonam
ex fonte prima iſta emanarint; ſtatim
enim poſt Regis in Hiſpaniam diſceſſum,
omnes illa conatus ac animi neruos eò
intendit, vt regiones Belgicæ ſeditionibus
turbarentur. Ac primùm quidem im-
miſſa hæreſi, Gueuſiorum id eſt Balatro-
num nomen contrà Regis edicta Catho-
lica, ſeditioſi quidam ex vulgi fece arri-
puerunt. deindè verò texente telam Eli-
zabetha, robuſtiores etiam nonnulli in
hanc ſe quoque ſentinam ingurgitarunt,
Princeps nimirum Auriacus, & Ludoui-
cus eiuſdem frater, Comites etiam Eg-
mondtanus, & Hornenſis, eodem viſco
illaqueati, quibus omnibus Regina An-

Belgij commotio.

gliæ,

gliæ, & conſilia ſemper, & animos, & vires ſubminiſtrauit, perſpicua ſanè in Regem tùm perfidia, tùm etiam hoſtilitate, quamquam verbis illa rem negaret, quæ tamẽ vniuerſo mundo factis ipſis pateret, quouſque tandèm ex rebus geſtis Ducis Alenſoniæ ſe manifeſtaret, quẽ orbe toto inſpectante in Belgium ex Anglia emiſit. eoq. miſerè paulò poſt extincto, vt facinus illa ſuum proſequeretur, anno demum octuageſimo quarto, poſt Antuerpiam iàm per Ducem Parmenſem glorioſiſſimè recuperatam, ac res rebellium in apertum diſcrimen adductas (ne Hollandia quoque ac Zelandia cæterarum prouinciarum exemplo ad Regis obedientiam redirent) publicè ſe interponendam, ac bellum apertum ſuſcipiendum cenſuit.

Ducis Alenſoniæ in Belgiũ impetus.

107 Atque hæc in ditionibus Regis Belgicis. Neque tamen minus ſedulam alijs in locis operam nauabat Elizabetha, vt Regis negotia turbaret, maximè verò la-

Latrocinia maritima Reginæ.

trocinijs maritimis, de quibus his ipſis verbis perſcriptum reperio in Ioannis Stoi annalibus Anglicis, qui Reginæ priuilegio impreſſi habentur. Anno Domini (inquit) ſexageſimo ſeptimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, menſe Ianuario, Reginæ maieſtas quatuor è ſuis nauibus, quingentis militibus armari præcepit, eiſq. Guilielmum Holſtoke ſcutiferum præfecit, cui etiam in mandatis Maieſtas ſua dedit, vt quoſcunque poſſet ex Regis Philippi ſubditis ſiſteret, ac bona eorum prehenderet, quod ille pro officij ſui ratione, diligenter exequutus, die vndecimo deindè ſequentis Martij, naues vndecim Hollandicas Londinum adduxit, magna vinorum aliarũq. rerum copia onuſtas, quæ omnia Regina ſibi retinuit, dimiſſis Flandris qui nauibus præerãt. Die verò vigeſimo octauo eiuſdem mẽſis Martij, cùm idem Guilielmus in quatuordecim ingentes naues onerarias incidiſſet, quæ ex Luſitania ſoluen-

tes,non exiguam commeatus abundan- „
tiam, bonam etiam argenti Hiſpanici co „
piam in Belgium deferebant, prœlium „
acerrimum cùm eis inijt, & poſt duarum „
horarum pugnam,octo ex ipſis ſe bonaq. „
ſua dediderunt, quæ partim Londinum, „
partim Haruicum (quòd per Tameſim „
fluuium ob molis magnitudinem deduci „
naues non poterant) pertractæ fuerunt, „
atque regio fiſco adiudicatæ. Hæc Stous „
in annalibus de Elizabethæ rebus in Regem geſtis, ante viginti & quinque annos, ne quis recentem putet eius eſſe inimicitiam.

108 Per hæc eadem ferè tempora, & proximè ſequentia, in copioſam illam pecuniæ Regiæ ſummam inuaſit Regina (ſexcenta enim millia exceſſiſſe dicitur) quæ Regis nomine, per mercatores trapezitas Genuenſes, ad belli Flandrici neceſſitates, itinere maritimo tranſmiſſa, per ipſam intercepta ac retenta fuit, eo ſcilicet colore, quòd non ad Regem ip-

Pecunia intercepta.

ſum, ſed ad Genuenſes pertinuiſſe affirmaret.

109 Atque his prædis illecta, tanquam leæna quæ iàm ſanguinem hauſiſſet, omnibus omnium deindè inhiare bonis, ac latrocinia manifeſtè exercere cepit, præcipuè tamē ſemper in Regem Hiſpaniæ, quòd cæteris eſſet opulentior, pyratas ſuos ac prædones armauit. Hinc enim Franciſcus Dracus ad Indias Orientales, ac mare quod de Sur vocatur progreſſus, pluſquàm decies & quinquies centena millia, anno Domini octuageſimo reportauit, nec multò minorem egit prædam anno ſequente Canditius, vt alios plurimos minoris nominis latrunculos prætercam. His deindè ſucceſſit Antonij Luſitani patrocinium ac incitatiò, vt in Regis ditiones quaqua verſus incurreret, quibus rebus quantū moleſtiæ & expenſarum Regi acceſſerit facilè eſt iudicare.

Pyratica.

Dracus.

Canditius.

Antonius Luſitanus.

110 Poſtremò pernotum eſt, quid inſo-

lentiæ

lentiæ ac tyrannidis, Franciſcus Dracus annis ſequentibus, octuageſimo nimirùm ſexto & ſeptimo, tùm apud Inſulam ſancti Dominici, tùm etiam apud ciuitatem Gaditanam, auſus fuerit perpetrare, quantas prædas abegerit, quanta damna intulerit, quas arrogantiæ ac ſuperbiæ notas, homuncio contemptibilis, Hiſpanico ſolo impreſſas reliquerit, ità vt Regem tandèm etiam nolentem ac perinuitum, ad rem vindicandam, non tantùm excitarint, ſed impulerint planè & coegerint. Et tamen (ſi Deo placet) ſanctiſſimè affirmat hoc Edicto Regina, nihil quicquam ſe egiſſe, neque vllam omninò offenſionis anſam præbuiſſe, ſed omnia reipub. Chriſtianæ mala, à ſola Regis cupiditate proficiſci, ea videlicet veritate, qua Catholicos omnes, rebelles, ac Sacerdotes Dei, proditores patriæ, ſuamq. Religionis Caluinianæ doctrinam, purum Dei Euangelium fœmina veridica & verecunda pronunciat.

Regis impulſio ad vindictam.

Atque

111 Atque hæ quidē ſunt iſtorum principum res erga ſe inuicē vtrinque geſtæ. Videamus modò quid vterque cùm proximis,quid cùm vicinis egerint, quemadmodum ſe erga alios geſſerint, qua fide, qua conſtantia, qua æquitate vixerint; nam hoc fuiſſe ſecundum criminationis caput, lectoris è memoria excidere non poteſt. Ac Regi quidem Philippo,ſi quis pro imperiorum amplitudine, vicina regna enumerare voluerit, ei certè non ſolùm Europam, verùm magnas etiã Aſiæ Africæq. partes,totas prætereà Indias,his longè ampliores ac ſpacioſiores, nominare neceſſe fuerit. Verumtamen vt vſu communi, ea tantùm attingamus, quæ obuia cuique ſunt, & quæ ſub oculos omnium poſita, ab Oriente, partim vicini, partim ſubditi Regis ſunt Itali, à Meridie, eadem planè diſtinctione Africani, ab Occidente, Luſitani atque Hyberni, à Septentrione verò Galli,Flandri, Angli, Scoti, cæterique. Cùm his omni-

Caput ſecũdum criminationis in Regem.

Regis ditiones.

bus

bus populis, qua lege vixerit, atque tractauerit Rex Hiſpaniarum, toto triginta ac ſeptem annorum ſpacio(nam plurium etiam annorum regno, multòq. iuſtiùs quã Elizabetha gloriari poteſt)non opus eſt verbis explicare,cùm oculis res teneatur, ac teſtis ſit vniuerſi ferè orbis theatrum.

112 In Italia enim, poſt hominum memoriam,nunquam aut tanta pax,aut tàm diuturna ac ſecura quies, quàm huius Regis dominatu viſa eſt; cuius cùm pietate ac moderatione, tùm prudentia etiã & authoritate, non tantùm ſubiectos in officio, verùm etiam cæteros omnes Principes in ſumma inuicem concordia conſeruatos videmus. Aſianos verò & Africanos, Turcas & Mauros ſi percontemur, nullam audiemus querelam, qua vel ruptum fœdus à Rege Philippo, vel iniuriam illatam,vel ius vllum regnorum paciſve violatum, cauſentur. Si Luſitanos adeas, fateor regnum illud partim

Cùm Italis.

Cùm Aſianis.

Cùm Africanis.

Cùm Luſitanis.

armis,partim nobilitatis conatu ac induſtria,temporibus noſtris Coronæ Caſtellæ adiunctum eſſe; ſed qui è gente Luſitana citrà animi perturbationem,hac de re loquuntur, & ſuarum legum peritiſſimi ſunt, ſummo illud ſucceſſionis iure factum eſſe affirmant; & qui hiſtoriam omnium diligentiſſimè,de horum regnorum adunatione collectam, hac ipſa tempeſtate in lucem edidit (cùm non Hiſpanus ſed Genuenſis natione ſit, & cæteris quandoque in rebus in Hiſpanos durior) hoc tamen in negotio de ſucceſſionis iure ad regnum Luſitaniæ, non tantùm moderatum & iuſtum, ſed anxium etiam & ſcrupuloſum fuiſſe Regis optimi animum demonſtrat, adeò vt rei examinandæ nullum ferè modum, aut finem fecerit, cæterorumq. omnium iudicio doctiſſimorum hominum prius ſatisfactum fuerit,de huius cauſæ iuſtitia,quàm vnius Regis conſcientiæ ſatisfieri potuerit, & recepto deindè regno (quamquam, vt

Hiero.Frāchi hiſtoria de vnione regnorum Luſit.& Caſtel.

dixi,

dixi, non ſine armis, propter quorundam hominum improborum ſeditiones) quàm amantèr tamen, quàm piè, quàm paternè gentem illam vniuerſam complexus ſit, quantiſq. eos beneficijs & amoris ſui & fiduciæ teſtimonijs, non domi tantùm, ſed apud Indos etiã, Arabes, Æthiopes, Braſilios, aliaſq. nationes ornauerit, vniuerſi mundi oculis perſpicitur.

113 Cùm Hybernis verò quemadmodum Rex egerit (qui etiam ſunt inter vicinos populos numerandi) non eſt quòd verbis explicare incipiam, cùm factis res conſtet. nunquam enim illi vel portu, vel acceſſu, vel commercijs, vel amicitia Hiſpanorum prohibiti ſunt, quanquàm Reginæ ſint ſubditi, & inde iure etiam gentium obnoxij ſanctionibus eiſdem, quæ in inimicos Anglos latæ ſunt. Cùm Anglis & Scotis, vt ſe rex geſſerit, iàm dictum eſt ſuperiùs, & multitudo ſanè eorum, qui hodiè etiam ex vtraque gente maieſtatis ſuæ munificentia ſuſtẽtantur,

Cùm Hybernis.

Cùm Anglis & Scotis.

ſatis declarat, quo animo in has nationes ſemper extiterit. Imprimis verò Rex Scotiæ, ſi gratus eſſe voluerit, indicia non pauca neque obſcura ſingularis cuiuſdam in ſe Regis beneuolentiæ recolere poterit, quam per infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæq. ſuæ tempora expertus eſt, quaq. ad inſignem quandam fortunæ ſuæ magnitudinem, ſi libuiſſet, licuiſſet vti.

Regis cùm Gallis amicitia conſtans.

114 Ad Gallos verò ſi nos conuertamus, quibuſcum raro patrum memoria pax diuturna Hiſpanis extiterat, ob vtriuſque imperij magnitudinem ac æmulationem, perilluſtre ſanè & inſigne pietatis regiæ ac moderationis elucet exemplum, quòd primum illud poſt bella acerrima, cùm Henrico Rege percuſſum fœdus, tanta Rex Philippus fide, tantaq. cõſtantia ad hunc vſque diem inuiolabile conſeruauit, vt alternantibus deindè tot Regibus, ac miræ rerum temporumq. in Gallia viciſſitudine ſuccedente, quà Rex

Hiſpa-

Hiſpaniæ,ad commodum fortè ſuum vti potuiſſet: nunquam tamen vel tranſuerſum digitum à ſinceriſſima amicitiæ regula diſcedere voluit,ſed vel læſus etiam aliquando (vt ex improbis Alenſonij Ducis factis manifeſtum eſt) Gallicanis ſemper Regibus, vt conſilio & authoritate, ità opibus etiam atque copijs, cùm opus eſſet, adeſſe non deſtitit, neque vnquam exindè opus fuit primũ illud Henrici fœdus, cùm filijs renouare, quod ſæpè tamen fecit Elizabetha, & ſæpius fregit, vt ex ipſius annalibus Anglicanis patet, præſertim verò ex annis 64. & 71. quibus Stous hiſtoricus nouas Reginæ ſuæ cùm Galliæ Regibus deſcribit confœderationes.

115 Sed audiamus (ſi placet) ſcriptorem Gallum, hac ipſa de re loquentem. Anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono (inquit Genebrardus in Chronica) ſeptimo nonas Aprilis, „ inter Gallum & Hiſpanum inita pax,qua „

Genebrardi teſtimonium de Regis Philippi erga Gallos amicitia.

„ hodie etiam fruimur. Et poſteà in anni ſexageſimi noni rebus geſtis dicit. Ad
„ tertium bellum ciuile in Francia mittitur
„ à Rege Philippo in Galliæ Regis ſubſidiũ
„ Comes Mansfeldius, cùm magno Bur-
„ gundiorum auxilio. Et paulò antè, cùm de ſecũdo bello ciuili ageret, anno 1567.
„ dicit. Comes Arembergius è Belgio in
„ Galliam venit cùm auxiliaribus copijs à
„ Rege miſſus in Catholicorum ſubſidium. De Anglorum verò amicitia quid dicat
„ idem ſcriptor, videamus: In medijs, in-
Anglorum perfidia. quit, his Gallorum tumultibus, Angli ſe
„ iungunt Hugonotis, id eſt rebellibus,
„ Normaniam vaſtant, fortiſſimum maris
„ portum Gratiæ occupãt, à menſe Septẽ-
„ bri anni ſexageſimi ſecundi ad finem Iu-
„ lij anni ſequentis, è quo prius non exie-
„ runt, quàm grauiſſima peſte indè diſce-
„ dere coacti ſunt, quæ diſcedentes in An-
„ gliam vſquè comitata eſt, ità vt Londini
„ ſolùm eò anno pluſquàm viginti millia
„ hominum perierint. Hæc Genebrardus.

iſta de Regis ergà Gallos benignitate, fide, atque amicitia ſufficiant.

116 Reſtant tantùm regiones Belgicæ, quæ, vt dùm in Regis ſui obedientia perſtiterunt, cæterarum omnium totius mũdi prouinciarũ feliciſſimæ ſunt habitæ, ob ingentes opes, cæteraq. cõmoda quibus affluebant; ità poſtquàm hæreſis infectione, & Elizabethæ ſtimulatione, ſuaq. infelicitate ab eadem obedientia receſſerunt (quòd ad eiuſmodi flagitia conſequens eſſe ſolet) omnia malorum ac calamitatum genera perpeſſæ ſunt, dolente vehementiſſimè ac commiſerante Rege, nec vllum medium, modumve aut rationem prætereunte, qua tanto incendio occurri poſſe iudicaret. Nec vllum vnquam exiſtimo Regem fuiſſe, qui tot ſuauitatis, ac manſuetudinis vias cùm ſubditis aggreſſus ſit, quòt Rex Philippus cùm Flandris eſt vſus. hinc enim tot colloquia & exhortationes, tot indulgentiæ ac veniæ conceſſiones, tot pacificationes, toties

Regiones Belgicæ.

armo-

armorum depoſitio, Hiſpanorum ex prouincijs reuocatio, Arcium ac ciuitatum in ipſorum ſubditorum manus traditio, quorum nihil ferè profuit niſi ad maiora ſcelera. Illud ſolùm ſibi ſaluum ac integrum Rex pientiſſimus poſtulauit, vt religio Catholica, in qua illi nati, ac educati fuerant, quamq. à patribus ſuis religioſiſſimè traditam acceperant, cuiq. ipſe in regni inauguratione (illis ipſis poſtulantibus) obedientiam omnem & cultum ſolenni Sacramento promiſerat, inuiolata conſeruaretur. Contrà planè, quàm Regina Angliæ, quæ ſubditos ſuos omnibus inuoluit miſerijs, vt è paternæ auitæq. religionis ac diſciplinæ poſſeſſione deturbet, quam ipſa quoque defendendam aliquandò in ſe perfidè receperat.

Reginæ factorum cõparatio.

117 Diximus de Rege, vt ſe habuerit tùm cùm proximis & vicinis, tùm etiam cùm ſubditis. Videamus modò, quid ſimile habeant Reginæ res geſtæ. ac primùm

quidem

quidem de manſuetudine in ſubditos, nihil mihi dicendum erit, cùm tot eorum exilia, fugæ, carceres, & mortes, ſatis (me tacente) loquantur, qualis illa in domeſticos extiterit, nec iterùm repetam, quæ in Regem Hiſpaniarum, ſuaſq. ditiones egerit, quot afflixerit, quot bonis omnibus euerterit, quot & quantis exitium attulerit. abundè enim hoc ex ijs, quæ iàm dicta ſunt, perſpici poteſt. Calamitates etiam Flandricæ manifeſtè id teſtantur, quarum omnium illa poſt diabolum præcipua ſine dubio extitit cauſa.

118 Dicam igitur de Gallis & Scotis tantùm, quibus illa proxima cum ſit, & medio quaſi interuallo inter vtrumque regnum conſidens, vtrique, tanquam Erimnys quædam, funeſtiſſimas aſperſit clades. Atque in Gallos quidem, ſtatim ferè à morte Henrici Regis, & ſecundo regni ipſius anno, eà ſpecie bellum mouit Elizabetha, quòd in Scotia, ad regni illius tutelam pro Maria Regina, Franciſco II.

Acta in Gallos.

Anno 1560

Galliæ Regi nupta, nonnullæ cohortes Gallicanæ conſediſſent, quas illa partim Anglorum, partim Scotorum hæreticorum, quos ſibi ſociauerat, exercitu, paucorum menſium moleſtijs fatigatas, è regno Scotiæ excedere coegit.

Elizabetha author eſt multarum cõſpirationum in Reges Galliæ.

119 His actis, omnem ſuum conatum ad Galliam ipſam perturbandam conuertit; ac primò per Oratorem ſuum Nicolaum Throgmortonum, Equitem auratum, hæreticum acerrimum, ac vafri ingenij hominem (quem Cecilius callidiſſimè in hanc legationem extruſerat, ne domi nimium creſceret, ſibiq. æqualis foret) confœderationes cùm Admirallio Collinio, Comite Montgomerio, principe Cundæo, alijſq. Galliæ hæreticis inijt, vt arma ſumerent; vnde ſtatim ſequuta eſt illa nefandiſſima conſpiratio, quam conſcijs etiam Caluino & Beza, factam eſſe Genebrardus affirmat, qua Franciſcus Rex cùm vxore, & Regina Mater Catharina, cùm reliquis tribus liberis ad

mortem deſignabantur; hacq. nono calendas Aprilis anni 1560. ſingulari Dei prouidentia detecta, tantorum principum conſultum eſt incolumitati, ac nonnulli conſpirationis conſcij grauiſſimis ſupplicijs Amboeſiæ plectuntur. Scelerum tamen principes, cùm ſe detectos animaduerterent, furere ceperunt, & diuerſas vbique ciuitates, arceſq. occupare, animos inſtigante, faceſq. ſubminiſtrante Elizabetha; quæ vt aliquid ipſa etiã per ſe ageret, Normaniam vaſtat, vt ſuprà ex Genebrardo oſtenſum eſt, portumq. munitiſſimum, qui Gratiæ portus vulgò nuncupatur, ad fluminis Sequanæ oſtium ſitum, occupat. Lugdunum, Aureliæ, Rothomagum, nobiliſſimæ ciuitates primo ſtatim impetu ab hæreticis Gallis intercipiuntur. Rex Nauarræus, Duces Niuernecenſis ac Guiſianus, Mareſcalus Santandreanus, alijq. Ductores Catholicæ partis interficiuntur. Dux Montmerantius capitur, & de-

nique, Genebrardo teſte, Gallia hoc vnico anno, plùs calamitatis pertulit à ſuis hæreticis, quàm omnibus bellis ſuperioribus ab externis hoſtibus pertulerat; quæ omnia Elizabethæ molitionibus tribuenda ſunt, dùm interim tamen fœdera cùm Gallorum Regibus haberet.

Regina 4. bellorũ ciuiliũ cauſa in Gallia.

120 Atque hoc in primo incendio ciuili per ipſam excitato præſtitit, contrà Franciſcum Galliæ Regem, quo paulò poſt præmaturè mortuo, non minus contrà duos fratres, qui ordine ei in regno ſucceſſerunt (Carolum nimirùm atque Henricum) conata eſt, licèt cùm vtroque fœdera quoque noua, & de nouo iurauerit. Nam contrà Carolum nonum duorum bellorum ciuilium funeſtiſſimorum non tàm particeps quàm princeps fuit; anno nimirùm ſexageſimo ſeptimo, quo in conflictu Dionyſiano Montmerantius Franciæ Conteſtabilis cæſus fuit, & ſexageſimo nono, quo in prœlijs Iarnacenſi & Marcotiano, Princeps Cundæus, Co-

mes

mes Bipontinus, alijq. proceres perierunt. Et tandèm coniurationis illius, quæ anno quoque ſeptuageſimo ſecundo, in nuptijs Regis Nauarræi executioni mandari debebat, de qua ſcribit Genebrardus his verbis. Regis Nauarræ nuptias excepit dies Bartholomeanus, ob quandam in Catholicos principes coniurationem. Huius inquam coniurationis conſciam quoque fuiſſe Reginam Angliæ, ex eo ſanè coniectura ſumi poteſt, quòd Montgomerium Comitem, qui ex præcipuis fuit conſpiratoribus, è Gallia in Angliam fugientem, non ſolùm amicè ac honorificè excepit, ſed pecunia etiam & militibus, & claſſe inſuper armatum, ad Inſulas quaſdam Regis intercipiendas remiſit, vbi captus tandèm biennio poſt Lutetiæ publicè ſecuri percutitur.

121 Contrà Henricum verò tertium, qui Carolo ſucceſſit, partem quoque habuit Elizabetha, primis illis initijs, in quarto bello ciuili Gallico, quod annò ſeptua- Acta in Henricum III. Galliæ Regem.

geſimo quinto ceptum eſt, ob id etiam Caſſimirum palatinum indè decedẽtem, & à Duce Guiſiano profligatum, magno apparatu in Anglia recepit. Et anno ſequente, cùm ad Catholicorum Gallorum petitionem, edictum pacificationis cùm hæreticis, in conuentu ordinum Bleſenſi, à Rege rcuocatum perſpexiſſet: nonnihil ſibi timens, ne Henricus Caroli fratris veſtigia ſequeretur in perſequendis hæreticis, pacem cùm eo renouat, ſed eadem planè fide, qua antè cùm cæteris. Nunquam enim exinde deſtitit, nunc fratrem eius Franciſcum Ducem Alenſonium, hominem inquietum & ambitioſum, nunc Regem Nauarræum, nunc alios in eum armare, & tandèm hominis imbecillitate perſpecta, ipſum quoque ſibi eripere, & in optimos quoſque & ſibi fideliſſimos incitare aggreſſa eſt, præcipuè verò in principes familiæ Guiſianæ ac Lotharingicæ, quam iſta ob religionis Catholicæ ardorem, gloriamq. virtutis

Familia Lotharingica

bellicæ, ſemper ſibi inuiſam habuit. Atque hac arte, tantùm apud Regem illum infeliciſſimum tandèm prævaluit, vt ipſum regnumq. funditus euerterit, omnemq. nationem Gallicanam eis calamitatibus inuoluerit, quibus nunquam (opinor) à condito Francorum regno, perpeſſa eſt funeſtiores.

122 Sed inſigniora ſunt adhuc opera, quæ Regina Angliæ in Scotiam, propinquius ſibi cohærentem exercuit. Cùm enim Scotiæ regnum eadem omninò inſula, nullo interiecto mari, cùm Anglia contineatur, facilius in illud quæcunque veneni vis trãsfundi potuit. Cùm igitur Elizabetha ad regnum euecta, Scotiam pacatam Catholicamq. inueniſſet (gubernante Maria Iacobi Regis quinti defuncti vidua filiæ ſuæ Mariæ nomine, quæ Franciſco ſecùndo Regi Galliæ nupta, Lutetiæ viuebat) ferre non potuit regnum tàm vicinum, & fæminis etiam ſubiectum, ſuis quoque conſilijs ac præ- | Geſta Reginæ erga Scotos.

ſtigijs

ſtigijs non turbari. Itaquè ſtatim bellum illuc transferendum decernit, eo colore, quo iam diximus, exturbandi nimirùm indè Gallos (horum enim manum Maria Gubernatrix ex Guiſiana familia orta, ad ſuum & fidei Catholicæ præſidium aduocauerat) ſed reuera, vt hæreſim eò immitteret, omniaq. miſceret, & Scotos inter ſe diuideret atque committeret, factiones ſibi in eo regno adunaret, Reginam tàm matrem, quàm filiam (quòd poſteà ſucceſſit) ſeditionibus opprimeret, cuncta denique in eam confuſionem & perniciem impelleret, quam poſteà miſerando planè ſpectaculo vidimus.

123 Ad hæc tamen prima initia rectiùs conſtituenda, cùm aliqua ſibi parte ac factione opus eſſe inter ipſos Scotos animaduerteret, & familia Hameltoniorum, locum principem inter cæteras, poſt regiam, teneret (cuius caput erat Dux appellatus de Chaſtelleroy) egit Regina

Hameltoniorum familia in Scotia.

verſu-

verſutiſſimè per oratorem ſuum Nicolaum Throgmortonum, cùm Comite Araneo Ducis prædicti filio primogenito (qui in Gallia per ea tempora in Patris Ducatu, quo ab Henrico Rege, ob Mariæ nuptias donatus fuerat, morabatur) vt ſpe nuptiarum ipſius Elizabethæ, Gallis relictis, in Angliam ſtatim euolaret, & indè in Scotiam, vt patrem ſuum cùm Anglis ad Gallos eijciendos, ac religionem Catholicam demoliēdam coniungeret. Quòd cùm ille infelicitèr effeciſſet, & mirè aliquandiu tumultuatum in Scotia fuiſſet, ſcribit de Maria Gu „
bernatrice Genebrardus his verbis. Re- „
gina Scotiæ Maria, Guiſiani olim Ducis „
filia inter hos motus Edenburgi tædio „
ac curis moritur. „

124 Dux verò Hameltonius, qui Anglis ad religionis euertendæ flagitium adhæſerat, cùm primò principatum ſuum in Gallia hac de cauſa amiſiſſet, à Miniſtris deindè Caluinianis mirificè domi exagi-

tatus atque proſcriptus,& à Regina Angliæ per exercitum afflictus, miſerrimè tandèm contabuit;& nulla vnquam,opinor,familia, maiores poſteà ab hæreticis iniurias accepit, quàm in Scotia iuſto Dei iudicio Hameltonia, à cuius etiam amicitia,vt dixi,Regina Angliæ breuiſſimè reſiliens, familiam ei contrariam ac inimicam, nempe Duglaſiorum perpetuis auxilijs contrà illam armauit,quoad vniuerſam ferè euerterit. Comes verò Araneus, Ducis filius, qui actor fabulæ extiterat, cùm ſe ab Elizabetha deluſum cerneret, furore correptus in eam amentiam incidit, quæ ipſum ad hunc vſquè diem funibus conſtrictum, miſerrimè quidē,ſed meritiſſimò tamen tenet.atque hæc initia fuerunt Reginæ operum in regno Scotico,quò pluſquã duodecim Anglorũ militum millia adduxerat,vt principium honorificentius hæreſi Caluinianæ proſeminãdæ hac ratione daretur, cuius fructus ſequẽte narratione manifeſti fiẽt.

Familia Duglaſiorum.

Mortuo

125 Mortuo Franciſco Galliarum Rege, Maria coniux, Scotiæ Regina, ad reprimendas bellorum, ac hæreſum flammas per Reginam Angliæ domi excitatas, redeundum ſibi ſtatim in regnum ſuum iudicauit. quam rem ſuſpectam habens Elizabetha, author fuit ac ſuaſor Mariæ, vt pacis conſtituendæ ac conſeruandæ cauſa, religionis negotium liberum cuique in Scotia relinqueret, & vt Iacobi Stuarti hominis perditiſſimi, qui ex patris concubitu illegitimo, frater Mariæ nothus erat, conſilio præ cæteris vteretur. Cui rei cùm illa infeliciter aſſenſiſſet, & Iacobo iſti authoritatem ſummam, Comitiſq. Murayæ dignitatem, ac titulum attribuiſſet: hæretici nihilò ſecius in ſeditionibus mouendis perſiſtere, omniaq. turbare, Iacobo duce perrexerunt. Tunc Maria (ſerò licet) pænitētia ducta, quòd initiò ſtatim hæreticorum fraudibus non reſtitiſſet, cùm vndique periculis ſe circumſeptam videret, conſilium ce-

Reginæ Scotiæ deceptio & ruina.

pit de matrimonio ineũdo cùm Darleio iuuene nobiliſſimo, ex antiqua Anglorum Scotorumq. ſtirpe regia prognato, hac enim ratione firmiores ſuas vires reddituram ſe exiſtimabat.

126 Huius rei fama in Angliã delata, Elizabetha rẽ grauiter accipiens (non enim volebat ex Maria prolem extare) Comitiſſam Lenoxiam Darlei matrẽ, licèt ſanguine ſibi coniunctiſſimam, carceri tradit in arcem nimirùm Londinenſem, vigeſimo ſecundo die Aprilis, anni ſexageſimi quinti, ex qua non niſi poſt filij cædem, dimitti potuit. Curauit etiam in Scotia, vt hæretici ſine mora arma caperent, Reginam apud plebem traducerent, &c, vt nullum ſcelus intentatum relinqueretur, Darleium ipſum aggrediantur, vt à Regina vxore mendacijs quibuſdam cõfictis abalienarent, affirmantes Dauidem quendam Secretarium, nimia apud illam in gratia eſſe. Quibus calumnijs leuiſſimum iuuenis animum eò permouerunt,

Darlei deceptio & interitus.

vt ipſo conſentiente, Regina verò inſpe-
ctante, Dauides à ſicarijs, ipſius Regis pu
gione, immaniſſimè trucidaretur. Sed
perſpecto, Darleius errore, redijt paulò
poſt cùm Regina in gratiam, & coniun-
ctis viribus, ambo in confœderatos du-
cunt exercitum, fugant hæreticos, alij in
Angliam ſe recipiunt, alij capti ſupplicio
afficiuntur, renouatur pax cùm Anglia,
non diu duratura, interim tamen per ali-
quot menſes Scotia reſpirauit.

127 At decimo quinto die Iunij ſequen
tis anni, peperit Maria Darleio filium, Ia-
cobum nomine, qui modo Rex Scotiæ
eſt, cuius rei nuncio multò grauius quàm
antè matrimonij, perculſa Elizabetha,
ſtatuit omninò ſecurim ad arboris radi-
cem ponendam eſſe; quod vt commo-
dius fieret, amicitias ſimulat, offertq. ſe
vt infantem de fonte ſuſcipiat. Ad quam
rem, Comitem Bedfordienſem Anglo-
rum procerum hæreticiſſimum, cùm mu-
neribus in Scotiam mittit, dat in manda-

Regis Scotiæ natiuitas, ac patris interitus.

tis, quæ citò fieri oportet; peragitur baptiſma, exeunte menſe Decembri, recedunt Angli; quibus vix è Scotia egreſſis, Februario nimirùm menſe ineunte, occiditur ſtatim Darleius infantis pater, in lectulo, ab hæreticorũ quorundam armata manu, dùm Regina Dei prouidẽtia, cùm puerulo abeſſet. Quo ſcelere euulgato, vtrinque ſtatim ad arma concurritur, cumq. hæretici, qui authores ſceleris extiterant, inuidiam rei in Reginam ipſam conijcerent, viribuſq. paratiores eſſent; facilè effectum eſt, vt Reginam calumnijs armiſq. oppreſſam in poteſtatem ſuam breui tempore redigerẽt, quam comprehenſam in arcem munitiſſimã, cuius nomen Loughleuen, compingunt, maieſtatis Regiæ ornamentis ſpoliant, filiumq. infantem, in matris iniuriam, Regem denunciant, celeberrimo ſanè flagitio, de quo ſcribit his verbis Ioannes Stous in annalibus Anglicis.

„ 123 Die vigeſimo nono menſis Iulij,

anni

anni 1567. poſt concionem habitam à Ioāne Knokes Scoto, in Eccleſia Sterlingana, inſignitus fuit Corona regni Scotiæ; Carolo Iacobus princeps, Henrici Darlei ac Mariæ filius, cùm annum vnū, ac quadraginta dies ætatis haberet, Epiſcopus Akellius cùm duobus ſuperintendentibus coronam capiti impoſuerunt; Iacobus nothus, Comes Murreyus declaratus eſt Regens totius Scotiæ, durāte Regis pueritia, Comes Mortonus, & Baro de Hume iuramentum pro Rege acceperunt, eum nimirùm regnaturum ac gubernaturum eſſe in fide, timore, ac amore Dei, & illam religionis formam defenſurum, quæ tunc in Scotia prædicabatur, & non aliam, omneſq. huius religionis aduerſarios perſecuturum. Hæc Stous, cuius poſtremæ clauſulæ verba, ſatis indicant quanam de cauſa hæc impijſſima tragædia inſtituta fuerit, vt infantis ſcilicet ætate ad omnem hæreſum licentiam introducendam, Elizabetha per

Regis Scotiæ ſacrilega inaüguratio contra matrē.

Iacobum nothum abuteretur.

Reginæ Scotiæ in Angliã aduentus.

129 Atque Regina quidem Maria, hac tàm inſigni iniuria accepta, cùm paulò poſt ex arce qua tenebatur, ex inſperato euaſiſſet, bellum iterùm renouat, ſatiſq. virium habitura breui videbatur ad rebelles caſtigandos, ſi rem conſtanter perſequuta fuiſſet. Sed cùm ipſa euentum ancipitem iudicaret, nec vellet tantùm humani ſanguinis effundi, continuis etiã Elizabethæ vocibus à bello reuocata, & ſuauiſſimis promiſſis ad Angliam inuitata, accepit tandèm infeliciſſimam conditionem, & quàm primùm eò profecta eſt, vbi cùm pedẽ poſuit Elizabethæ iuſſu comprehenſa, per viginti plus minus annos in carcere detinetur, quouſque fictis tandèm criminationibus oppreſſa, capite demum mulctatur, contrà ius gentium ac omnem regiam dignitatem.

Scotorum miſeri inter ſe tumultus & cædes.

130 Poſt hoc Scotorum in Reginam ſuam legitimam optimamq. inſigne flagitium, hæreſimq. tanta impietate ſtabi-

litam,mirificis ſeditionum procellis inter ſe iactati atque colliſi fuerunt. Iacobus enim nothus Murayæ Comes, Regis gubernator, ſeu tyrannus potius, breui poſteà ab hæretico quodam ſuæ ſectæ occiditur. Huic Elizabetha quæ hæc omnia moderabatur, alium ex Anglia ſubſtituit (Comitem nimirùm Lenoxium) præſidio etiam militum ad cuſtodiam addito, & tamē hic quoque infra annum & dimidium,perſimili Dei iudicio, interfectus fuit. Et cùm tertio loco Comes Mortonus hæreticus, & cæteris non minus ſceleratus, qui impium iuramentum loco Regis acceperat, iubente Elizabetha ſuffectus fuiſſet, ipſe etiam aliquibus poſt interiectis annis ipſius Regis adhuc pueri iuſſu, gladio peremptus eſt.

131 Ex hoc tempore, quo filius contrà matrem,tàm manifeſto hæreticorum ſcelere,regni ſolium arripuit, Elizabetha cōſilij omnis factiq. princeps,nunquàm deſtitit continuis bellorum ac ſeditionum — Scotiæ per Elizabethā vaſtatio.

turbi-

turbinibus afflictiſſimam Scotiam, nunc per Anglos, nunc per Scotos ipſos exagitare. Et bis quidem aut ter miſſis exercitibus, exiguo temporis interuallo omnia miſerè ac crudelitèr poſt Reginæ Mariæ eiectionem vaſtauit. primùm anno Domini ſeptuageſimo, quo tempore quantas ſtrages ediderint milites Anglicani in Scotos Catholicos, ac Mariæ Reginæ fautores & ſubditos, ex ipſis potius Angliæ annalibus, quam meis verbis explicandum iudico, ſic igitur ſcribit Ioannes Stous ad annum quem dixi.

Comitis Suſſexij in Scotiã expeditio anno 1570.

132 Die 17. Aprilis Comes Suſſexius gubernator generalis pro Regina, ad partes boreales Angliæ, cùm Barone Hunſdano, Beruici Capitaneo, & Guilielmo
„ Druræo equite aurato, eiuſdem loci ſu-
„ premo Mareſcallo, viribus omnibus con
„ gregatis, hoſtili modo ingreſſi ſunt Sco-
„ tiam; vbi omnia flammis dederunt, om-
„ niaq. oppida, caſtella, arces, villulas, & do-
„ mos euerterunt, ſpoliarunt, combuſſerũt,

„ ac ſolo æquauerunt, quæ vllo modo ad
„ inimicos pertinebant, quouſque ad arcem Moſſenſem perueniſſent, quam vi
„ etiam captam flammis tradiderunt, cùm
„ vniuerſa regione vicina quæ eis patebat, &c.

133 Die verò decimo octauo Aprilis Ioannes etiam Foſterus eques auratus,

Ioannis Foſteri expeditio.

„ mediorum cõfinium inter Angliam Scotiamq. cuſtos, alio exercitu per aliam
„ viam ingreſſus, omnia ſimiliter ex omni
„ parte vaſtabat, arces euertebat, domus
„ comburebat, & totam denique regionem
„ infeſtabat, nominatim verò arcẽ de Fernhurſt deſtruxit, & omnia alia quæ ad
„ Baronem de Fernhurſt pertinebant depopulabatur, & quæ ad Hameltonios,
„ qui Reginæ Mariæ amici habebantur.

134 Eodem tempore Baro de Scrope occidentalium confinium cuſtos, per tertiam viam cùm exercitu ingreſſus, ſimiliter faciebat atque cæteri, multoſq.

Expeditio Baronis de Scrope in Scotiam.

„ Scotos interfecit, alios captiuos abduxit, „

" & in hoc itinere pluſquam quinquaginta
" arces munitæ ſunt captæ, vltrà quàm tre-
" centa oppida & villæ combuſtæ, euerſæ,
" ac ſolo æquatæ, nec auſi ſunt Scoti vel ſe-
" mel exercitibus noſtris ſe opponere, licèt
" Dux Hameltonius apud oppidũ Liſcoum
" eſſet cùm exercitu. Noſtris autem exer-
" citibus coniunxerunt ſe Comites Leno-
" xius, Mortonus, Gleucarnenſis, Marren-
" ſis, alijq. proceres Scotiæ, qui à Regis
" partibus contrà matrem ſtabant.
" 135 Die 26. Aprilis Comes Suſſexius
" per obſidionem accepit arcem de Hume,
" pro Domina noſtra ſuprema Regina An-
" gliæ, & eiectis Scotis qui erant numero
" 168. eorum loco collocauit Anglos.
" Die 27. Maij Guilielmus Druræus Ca-
" ſtellum Hameltonium cepit, diruitq. ſta-
" tim & flammis tradidit, & die proximo
" combuſtum fuit oppidum integrum cùm
" duobus palatijs, quæ omnia Hamelto-
" niorum erant.
" 136 Poſt quinque deindè menſes aliam

profectionem ſuſcepit Comes Suſſexius in Scotiam cùm magno exercitu, qui ex ciuitate Cadienſi egreſſus die 22. Augusti venit ad domum valdè munitam nomine Annonam, Baronis Hariſij, qui Reginæ Mariæ partes ſequebatur, eamq penitus euerterunt. Idem fecerunt arcibus Hudhim, Kenel, Domfries, & ſumptuoſiſſimo cuidam palatio Reginæ Scotiæ, cuius cuſtos erat Baro Hariſius. Idem etiam fecerunt oppidis Corohils, Pontrach, Carlauorak, & alijs ferro, flammis, & puluere tormentario omnia conſumentes.

Comitis Suſſexij in Scotiã profectio 2.

137 Hactenus ex annalibus Anglicis Ioannis Stoi, qui tertio deinceps anno, hoc eſt ſeptuageſimo tertio, aliam deſcribit profectionem Anglorum in Scotiam ſub Guilielmo Druræo, his verbis. Hoc anno Maieſtas Reginæ, petente Scotiæ Regente, in fauorem Regis pueri, ſuæ maieſtatis cognati, miſit ſubſidium mille & quingentorum militum, duce Guilielmo

Druræi in Scotiã profectio 1573

Druræo equite aurato, Beruici Mareſcallo, ad arcem Edenburgicam obſidendam, quæ à Barone de Grange Scoto, pro Regina Maria tenebatur. Coniunctis igitur Anglis cùm quingentis Scotis, qui ſuæ factionis erant, & triginta tormentis bellicis ad arcis muros admotis, decem dierum conquaſſatione fatigata arce, tandèm reddita fuit die vigeſimo ſeptimo Maij.

138 Volui potius hæc ex ipſorum Anglorum hiſtoria, Reginæ priuilegio euulgata & munita, quàm ex mea memoria repetere, vt intelligatur Reginam his rebus geſtis ſuis non mediocriter gloriari. Interim tamen hoc animaduertendum eſt; hæc eo tempore ab illa geſta eſſe, quo ſummam pacem & confæderationem cùm regno Scotiæ profiteretur, & contrà Mariam Reginam legitimam perpetrata, quæ ſanguine ei coniunctiſſima erat, quamq. iniuſtiſſimè captiuam apud ſe tenebat. In ſubditos etiam innocuos

has clades illatas eſſe, qui Sacramento fidelitatis Dominæ ſuæ obſtricti tenebantur. Et quanquam Elizabetha his in rebus omnibus callidiſſimè nomen & vtilitatem pueri Regis præſeferret; illud tamen nō ita eſſe, ſed hoc quoque prætextu ad ſuum tātummodò commodum, vſam illam fuiſſe, ex eo perſpici poteſt, quòd anno poſteà octuageſimo ſecundo, cùm Rex iam decimum ſextum ætatis annum ingreſſus, liberioris aliquantum iuris eſſe cuperet, ſeq. hæreticis ac Reginæ conducticitijs hominibus nonnihil cepiſſet exuere, Mortonio Comite nimirùm extincto, ac illius loco Dabeneio cognato ſuo ex Gallis oriundo Duce Lenoxiæ creato, & in præcipuam regni adminiſtrationem accito; Elizabetha, hæc non ferens, ſtatim rebelles nonnullos Scotiæ, quos apud ſe in Anglia fugitiuos, ad iſtiuſmodi ſemper occaſiones habebat, viribus pecunijſq. inſtructos, in Scotiam immiſit, qui Regem per vim à ſuis abriperent, ac hæ-

Elizabethę in Regem ipſum Scotiæ ſtratagema.

reticis iterum ſubiectum redderēt, quòd & factum eſt, Lenoxiæ Duce in Franciam eiecto, vbi breuiſſimè vel dolore animi, vel (vt alij affirmant) veneno ex Anglia ſubminiſtrato, vitam miſerè finijt. Rex autem ſuorum perduellium captiuus factus, & Reginæ poteſtati redditus eſt, vt de eo fieret, quicquid illa præciperet, qua etiam cōditione ſemper poſteà vixit, propter eam quam illa in Scotia habet, tùm hæreticorum, tùm hominum etiam (vt dixi) conductitiorum potentiſſimam factionem. Et profectò quid illa tandèm de hoc Rege, cuius patrem, matremq. occidendos curauit, ſtatuendum iudicabit, tempus ipſum demonſtrabit, ex tempore enim & illa ad res omnes ſuas conſilium maximè capit. Certè Genebrardus, ex hiſtoria Pauli Iouij affirmat, quinque Reges familiæ Stuardianæ, qui inuicem ſibi continenter Iacoborum nomine in Scotia ſucceſſerunt, ſingulare ſpectaculum humanæ miſeriæ & calamitatis

Inſigne quiddā de Regibus Scotiæ.

præbuiſſe, cùm quatuor eorũ ferro, quintus verò veneno ſublati dicantur, quibus ſi iſtius, qui Iacobi ſexti nomen habet, vtrunque parentem addamus, ferro quoque peremptos, rem longè magis calamitoſam efficiunt.

139 Intereà tamen vniuerſo iam mundo conſtare arbitror, qua veritate, vel quanto potius mendacio, & quàm proiecta impudentia, hoc Edictum affirmet, omnem reipub. Chriſtianæ turbatæ cauſam Hiſpaniarum Regis cupiditati tribuendam eſſe, illum ſemper Angliæ, illum cæterorum principum vicinorum ditionibus inſidiatum, ſuis non contentum. Reginam verò cùm omnibus pacificè vixiſſe, nullam vnquam iniuriam cuiquam feciſſe, nullam turbationis cauſam aut occaſionem præbuiſſe, per Regis arma ſolummodò ſtare, quo minùs pax vniuerſalis inter omnes Principes Chriſtianos cõſtituatur. Quod cùm non tantùm priuatim dici, aut in angulo aliquo affirmari,

Edicti iſtius impudentia.

ſed prælo etiam euulgari video, occurrit illud ſæpiſſime D. Auguſtini pulcherrimum, veriſſimumq. dictum, contrà Iulianum Manichæum: Frons hæreticorum non eſt frons, ſi hoc vocabulo non corporis membrum, ſed pudorem intelligamus.

Lib.4 c.4.

140 Quis enim pudor, quæ vnquam verecundia, publicè hæc contrà totius mundi conſcientiam effudiſſet? Certè ſi ineptus aliquis aut proteruus, albam eſſe niuem antiquitus negabat, aut ſi alius tenebras eſſe media luce ſtolidiſſimè affirmabat, aut bonum malum, & malum bonum perditus quiſquam ad improbitatē ſuam defendendā vel excuſandā vocabat; non admodùm nunc moueor, cùm impudentiùs multò hoc Edictum talia dicere non erubeſcat, quæ & ipſis etiam authorum ac conditorum iudicijs falſiſſima videri neceſſe eſt, & aliorum omnium mortalium non tàm ſententijs quàm ſenſibus impudentiſſimè conuincuntur?

Eliza-

141 Elizabetha ſcilicet Angliæ Regina, ter quaterve vitam ab Hiſpaniæ Rege accepit, & alijs multis magniſq. beneficijs affecta eſt, triginta annorum ſpacio nullam ab eo offenſionem, nullam moleſtiam, nullum violatæ pacis indicium vel minimum habuit, & horum beneficiorum loco, hoſtilem ei ſemper animum, ingratum, inuidum, impotentem, prætereà fœderis ruptiones varias, perfidiæ argumenta, & opera infinita, latrocinia, furta, ſubditorum ad defectionem ſollicitationes, clandeſtinas cùm perduellibus coitiones, manifeſtas cùm hoſtibus coniurationes rependit; & tamen querelam de iniurijs ſolemnem inſtituit. quid hic iudicandum?

Reginæ in Regem geſta.

142 Quoad vicinos verò principes, Rex ſumma ſemper æquitate, pace ac conſtantia cùm omnibus viuens, nullius hactenus ditionem, triginta & ſeptem annorum dominatu inuaſiſſe cernitur, nullius opes aut imperium ambiuiſſe; nulli vnquam

Reginæ acta cùm alijs principibus.

bellum intuliſſe, nullius ſubditis contrà dominum patrocinium præſtitiſſe; quorum omnium contraria Elizabetha feciſſe noſcitur. Nam regna omnia vicina bellis, ſeditionibus & furoribus impleuit, Galliam afflixit, Scotiam deſtruxit, Belgium perdidit, ſubditos in principes vbiquè armauit, & vndiquè ad ſuum commodum, quæ potuit rapuit, quæ non potuit, flammis ferroq. deleuit, terra mariq. itinera omnia latrocinijs infeſtauit, innocentium bona diripuit, cruori effundendo cauſas notiſſimas locis plurimis dedit, vniuerſum ferè ſeptentrionem ſectis, odijs, ac diſcordijs in ſe diuiſum, belliſq. conquaſſatum, turbat hodie atque exagitat, reſq. hæc omnium oculis tenetur, vocibuſq. cunctorum percrebreſcit; & tamen illa ſine fronte, ſine rubore, hoc tantùm ſcilicet ingeminat cùm Pilato, ſe
„ innocentem eſſe à ſanguine omnium, ſe liberam à culpa, ſe nihil mali feciſſe. Quid hic dicendum? certè illud, opinor, miſer-

rimos eſſe ſtultiſſimosque,qui huic fæminæ in rebus religionis & ad animarum ſalutem pertinentibus, noua dogmata cudenti & obtrudenti credunt, cùm in rebus obuijs & cuique notiſſimis, tàm proiectè mendacia fundentem cernant.

143 Atque hæc de prioribus duobus criminationis captibus ſatis in præſentia ſint. Videamus nunc de tertio, quō affirmat Elizabetha, Hiſpaniarum Regem hac ætate ſua inclinata, quæ ad pacem eſſet aptiſſima, & qua ſuis regnis contentus, cùm plura poſſideat, quàm vllus vnquam antè ſe Chriſtianus princeps, aliena per vim & arma inuadere non deberet, bellum iniuſtiſſimum & vniuerſæ reipub. Chriſtianæ periculoſiſſimum, contrà præſentem Franciæ Regem ſuſcepiſſe, quemadmodum etiam biennio antè contrà Angliam ſucceſſu licèt infelici attentauerat. Qua in criminatione vides, lector, quàm ſint omnia artificioſè ad concitandum odium ac inuidiam coag- Tertium criminationis caput.

nuidioſa xaggera- io.

mentata, ætas nimirũ Regis, animus à pace auerſus, regnorũ multitudo, alieni cupiditas, armorũ violentia & iniuſtitia, reipub. Chriſtianæ periculum, & Anglicani demũ regni appetitio, & infelix ſuſcepti cõtrà illud belli ſucceſſus. Sed ſi ex ijs quæ dicta iàm ſunt, manifeſtò apparuit, Regẽ nõ ſolùm iſta ætate, ſed in omni vita pacis fuiſſe ſemper cupidiſſimum & obſeruantiſſimũ, nec potentia ſua vlli vnquam nocuiſſe, ſed profuiſſe plurimis, nec cuiuſquam ditiones inuaſiſſe, ſed defendiſſe, nec contrà Regem Galliæ ſubſidia modò largiri, ſed contrà Galliæ hoſtem ac religionis Chriſtianæ oppreſſorem (quod hoc etiam loco manifeſtiùs erit declarandum) nec cõtrà Angliam ſua ſpontè, ſed iniurijs grauiſſimis in Deum hominesq. illatis, planè compulſum inſurrexiſſe: ſi hæc (inquam) certiſſima ſint, & omnium ſenſibus patentiſſima, quorſum iſta Cecilij mendaciſſima tandèm Rhetorica (nam ipſum Edicti ſcriptorem ha-

beri diximus) qua tot figmenta ſine cauſa conglomerantur, niſi fortè vt ſe omnibus ridendum, & Dominæ ſuæ cauſam vniuerſo mundo deteſtādam proponat?

144 Nec eſt quòd Regina ætatis inclinatæ memoriam Regi tàm diligentèr refricet, perindè ac ſi ipſa iuuēcula adhuc, ætate florenti, ſenectutis incommoda Regi exprobraret: annorum enim numero quàm proximè illum ſequitur, & ſi quod eſt aliquorum dierum diſcrimen, illud certè totius vitæ imparitate cumulatiſſimè compenſatur. — Elizabethę ætas.

145 Potentiæ Regis magnitudo, quam adeò ad inuidiam amplificat Edictum, nullo Chriſtiano principi moleſta aut formidini eſt, cùm ea ſemper moderatiſſimè eius Maieſtas ſit vſa; ſumma autem Dei prouidentia ac benignitate factum eſſe interpretantur omnes boni, vt monarchia hæc in tantam excreſceret temporibus noſtris magnitudinem, vt haberet Eccleſia qui eam tueretur, & inſolen- — Regis potentia.

tiſſimos hæreticorum inſultus, tanquàm inſanos hominum furioſorum in matrem impetus, compeſceret. Itaque non miror impatienter ab Edicto nominari potentiam hanc; cùm enim Cecilius & Elizabetha, cæteriq. hæretici eam cogitant, crucem ſuam ac flagellum cogitant, nec animi dolorem diſſimulare poſſunt.

Expeditio maritima contrà Angliam.

146 Minus omninò cauſæ eſt, cur tantoperè iſti glorientur, de aduerſo belli ſucceſſu, quem tulit claſſis Regia his annis proximis contrà Angliam inſtructa; nulla enim ipſorum fortitudine repulſa vis eſt, ſed eis potius caſibus, qui ſæpiſſimè ſolent in res bellicas incidere, àeris nimirùm inclementia, maris incogniti inexperientia, nonnullorumq. fortaſſis hominum vel negligeatia vel inſcitia, Dei deniquè voluntate, qua fortè miſericors Dominus arborem Angliæ infructuoſam dimitttere ad huc voluit, ad tertium annum Euangelicum, vt videat ſi ad meliorem frugem reduci poſſit, priuſ-

Luc. 13.

quàm

quàm ſuccidatur. Nam hoc quoque frequentiſſimum in Dei operibus eſt, &, vt ab Anglia non diſcedam, Iulius certè Cæſar, prima Inſulæ aggreſſione victoriam non eſt conſequutus, neque auus tuus, Elizabetha, Henricus Septimus, prima expeditione, qua claſſe inſtructus ex Britannia minori ſoluit, ſucceſſum tulit, quem ſperauerat, vterque tamen poſteà, tàm Cæſar (inquàm) quàm Henricus, perinſigni victoria Anglicani regni ſceptra ſunt conſequuti.

Suet & Tacit. in vita Cæſaris. Stous in vita Ricar. 3.

147 Sed illuſtrius multò exemplum eſt, filiorum Iſrael, qui ter voce Domini excitati, vt contrà tribum Beniamin, ad caſtiganda nonnulla eorum ſcelera pugnarent, duobus tamen prœlijs fugati atque cæſi ſunt, occiſis plùs minus quadraginta millibus educentium gladium, tertia tamen vice ex Domini mandato bellum redintegrantes, victoriam clariſſimam conſequuti ſunt, viginti quinque millibus aduerſariorum vno die cæſis, vrbeq.

Exemplũ inſigne.

Iudic. 20.

deleta, de qua vindicta his ipſis verbis
„ loquitur Scriptura. Omnes reliquias ci-
„ uitatis à viris vſque ad iumenta, gladio
„ percuſſerunt, cunctaſq. vrbes & viculos
„ Beniamin vorax flamma conſumpſit.
Hunc igitur rerum exitum meditentur
Angli, vt pœnæ dilatione, quæ tantis
eorum flagitijs debetur, non inſóle-
ſcant.

De Nauarræo Rege.

148 Reſtat de Biernenſi principe, ſeu
Nauarræo nonnihil dicendum, quem
Franciæ Regem, Edictum hoc Elizabe-
thæ, ſine omni exceptione, aut contro-
uerſia, precisè, liquidè ac peremptoriè,
pro ſuo more, contrà reliqui orbis iudi-
cium, ſenſum, & ſententiam facit. Qua
tamen in cauſa, eò mihi pauciora ſcri-
benda erunt, quò plura ab alijs doctiſſi-
mis noſtri temporis tùm iuriſconſultis,
tùm Theologis volumina hac de re edita
cernuntur, quibus fit manifeſtiſſimum,
nullo iure neque diuino, neque huma-
no, Regis Galliæ nomen aut dignita-

tem,

tem Nauarræo poſſe competere.

149 Regina quidem Angliæ, fateor, vt in nouis dijs ac religionis dogmatibus plaſmandis, ità & in Regibus etiam hac tempeſtate vel formandis, vel delendis, ſumma quadam facilitate, miroq. priuilegio, ac compendio vſa eſt; ità vt de illa quoque ſuo modo mihi videatur dici poſſe, quod Iobus de Behemoth ſcriptum reliquit. Reputabit quaſi paleas, ferrum, & quaſi lignum putridum æs, non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui factus eſt vt nullum timeret. Primùm enim in regno Galliæ, cùm poſt Henrici ſecundi mortem, Franciſcus ac Carolus filij inuicem ſibi ſuccedentes, non admodùm ei placerent, quòd in ebullientes hæreſes duriores viderentur, ambos ſtatim contempſit, nec vllum eorum habuit pro legitimo rege, ſed cùm perduellibus inijt ſocietatem ad vtrumque extinguendũ, vt ſuprà oſtenſum eſt; & in Anglia paſſim, non iſti, reges, ſed tyranni, ſed perfidi, ſed

Reginæ facilitas in permutandis Regibus.

Iob 41.

proditores Euangelij, à Miniſtris Anglicanis ſeminiuerbijs, vbique in triuijs & ex ſuggeſtis dicebantur.

150 Eadem planè de cauſa, ſed deteriori longè contumelia, ex albo principum Belgij delendum Regis Philippi nomen maieſtatemq. iudicauit, & omnibus iniurijs, quas furioſa rebellium rabies excogitare potuit, quaſque verecundiæ cauſa nominare non poſſum, exagitandam, vt ex eis, quæ ſuperiùs de Belgij tragœdia narrata ſunt, facilè intelligitur. Eadem etiam de cauſa (Catholicæ nempè religionis odio) priuandam imperio Reginam Scotiæ cenſuit, curauitq. non ità longè poſt, morte quoque è medio tollendam. an non iſta igitur robuſtiſſimi cuiuſdam Behemoth, aut Leuiathan videntur eſſe opera?

Reges ſeu tyrani per Elizabethã excitati.

151 Atque hæc quidem ad deſtructionem; in ædificationem verò quid? certè in Scotia, quod dictum iàm eſt, facilitate mirabili Regem nouum, puerum nimi-

rùm

rùm vnius anni, in regni ſolium contrà matrem erexit. In Belgio verò (vt Auriacum, Matthiam Auſtriacum, alioſq. regulos per ipſam contrà Regem legitimum excitatos omittam) Franciſcum ſanè Valeſium Ducem Alenſoniæ ex Gallia primùm in Angliam, ſpe nuptiarum ad ſe vocatum, Antuerpiam miſit, ibiq. ſollenni ceremonia Ducem Brabantiæ, ducali etiam pileo inimicè impoſito, conſtituendum curauit. Luſitanorum Regem aliquando declarauit Antonium nothum, contrà eundem Hiſpaniæ Luſitaniæq. Regem, tunc ſcilicet, cùm ſibi commodum id eſſe videretur, licèt aliàs vix eum vt Senatorem habuerit. Gallorum in præſenti vult Regem eſſe Nauarræum, (Edicto enim ſuo præſentem Galliæ Regē illū vocat) factura poſteà (vt videtur) quod rebus ſuis maximè expedire intelliget; hæc enim mulieris iſtius ad vniuerſas actiones præcipua regula eſſe videtur, vt tempori commodiſq. ſuis inſeruiat.

Eccleſiæ grauitas in Regum negotijs.

152 Nos autem in Eccleſia Catholica, maiori longè conſtantia, maiori grauitate, iura Principum tractanda didicimus; neque enim vel leuitati populari, vel ſubditorum tumultuationi, vel aliorum principum vicinorum voluntati, odio, aut ambitioni, tantæ rei arbitrium Eccleſia Dei permittit; ſed legitimè potius, conſtantèr ac ſeuerè iudicium regibus, ex ipſius Eccleſiæ ac reipub. legibus, quibus quiſque principatum inijt aut inire debuit, faciendum decernit. Quarum cùm illa prima ac præcipua lex ſit, ab ipſis regnorum Chriſtianorum incunabulis inſtituta, recepta, ſanctiſſimèq. obſeruata, vt omnis princeps regnum inter fideles initurus, promittat iuretque de fide Catholica Romana tuenda, & legitimè conſtantèrq. defendenda, neque hoc iuramentum Nauarræus, pro maiorum more & muneris regij obligatione, præſtare velit, aut ſi præſtiterit, credendum ſit nihilo magis obſeruaturum, quam obſerua-

uerit Regina Angliæ, quæ Sacramẽto ſollemni ſe ipſam ad hoc obligauerat: cùm hæc, inquam, ità ſint, quo quæſo iure, aut qua ratione queri poterit Nauarræus, aut eius nomine Elizabetha, iniuriam illi fieri, dùm id ei negatur à populo Gallicano, quo ipſe ſe indignum reddidit, ac ſpontè orbauit, dùm illam accipiendi principatus conditionem renuit, qua ſola dari potuit, cuiuſque cauſa primùm eius maioribus rei tantæ maieſtas, non natura inſita, aut ortus beneficio ingenita, ſed libera populi voluntate collata, & Eccleſiæ authoritate confirmata ac commendata fuit?

153 Etenim vt nihil de Nauarræi hæreſi, nihil de ſuſpectis natalibus, nihil de rebus actis aut commiſſis contrà fidem, nihil de reliquis impedimentis, quæ Galliæ Catholici obijciunt, loquamur, vt non fuerit Caluinianus, non ſint dubij natales, non ſit ipſe relapſus, non ab Eccleſia Catholica reſciſſus, & ſummi

Plurima ad Nauarræũ excludendum.

Paſtoris ſententia principatu omni priuatus, vt nihil ei noceat, quòd toties in ſceptrum Gallicanum rebellauerit, & arma in Henricum Regem & rempub. ſuſtulerit, aut quòd in Carolum decimum Cardinalem & Regem Franciæ declaratum, violentas manus iniecerit, & captiuum ad mortem vſquè detinuerit (quorum tamen ſingula in omni benè conſtituta repub. ſatis eſſe poſſent, ad quemuis regnandi iure ac prætenſione legitimè excludendum) vt iſta, inquam, omnia nihil ei obſint; hoc tamen vnum certè nemo, opinor, vel iniquiſſimus rerum æſtimator negabit, iuris eſſe ciuilis poteſtatem regiam, & non naturæ gentiumve. Ius autem ciuile (Iſidoro ſancto definiente, cæteriſq. omnibus tùm Philoſophis, tùm iuriſconſultis, tùm etiam Theologis approbantibus) illud eſſe cognoſcitur, quod quiſque populus vel ciuitas ſibi proprium conſtituit, conditionibus illis, quas reſpub. deſignauerit, idq. volunta-

Iſid. diſt. 1. can naturale.
Ariſtot. 5. Ethic. cap. 7
Cic. lib de inuent.
Vlp. lib. 1. ff. de inſtit.
D. Tho. 1. 2. q. 95. art. 4.

te ac

te ac iudicio proprio, pro cuiuſque regionis vtilitáte atque arbitrio, non ex naturæ neceſſitate, vel ex vniuerſarum gentium decreto, aut conſenſu, quibus duabus rebus ius naturale atque gentium, à ciuili maximè ac proprijſſimè diſtinguitur.

154 Quòd enim Reges à natura non ſint, neque ex iure gentium, ex eo ſanè manifeſtum fit, quòd neque primùm neceſſariò fuerunt, neque deindè ſemper ab initio extiterunt, neque apud omnes gentes ac nationes recepti ſunt, neque eadem ſemper lege vbiquè regnarunt. Quas tamen conditiones ad iura naturæ gentiũq. conſtituenda, neceſſarias eſſe, doctiſſimorum hominum cõſenſus decernit. Et certè ſi initia repetamus, intelligemus mundum multis ſæculis ſine Regibus conſtitiſſe, & præter cæteros, Dei populum quoque Hebræum, poſt tria tandèm annorum millia, poteſtatem à Deo Regem ſibi conſtituendi non ſpontè, ſed grauatè

Ius regium neque naturę, neque gentiũ eſſe.

1. *Reg.* 8.

con-

conceſſam accepiſſe. Apud Romanos deindè longiſſimo tempore reges nullos fuiſſe videmus, nec modò eſſe apud Venetos, Genuenſes, aliaſq. reſpub. Et vbi reges in vſu ſunt, eos tamen eodem vbique iure non regnare manifeſtum eſt. Nam Poloni & Bohemi Reges quidem habent, non generatione ſed electione ſibi inuicem ſuccedentes, quorum liberi tamen aut propinqui, ipſis mortuis, vel amotis, nihil iuris ad ſucceſſionem prætendunt. In Gallia denique regnandi ius & cõſuetudo alijs quàm in Anglia, vel Hiſpania limitibus circumſcribitur. Ex quibus omnibus manifeſtè apparet, regiam dignitatem ac poteſtatem, à libera reipub. voluntate & ordinatione, approbante Deo, profectam eſſe, quæ poteſtas, cùm hac præcipua ac primaria conditione à populo Chriſtiano principibus à ſe delectis tributa ſit, vt fidem vnã Catholicam Romanam tueantur, duobuſq. inſuper ad hoc ipſum iuramentis

Duo iuramenta regum vt ſint Catholici.

ijdem obſtringantur, vno, in baptiſmo, quo fiunt Chriſtiani; altero, in Regni inauguratione, qua Reges deſignātur; quis erit tàm abſurdus, aut mente cæcus, vt eum qui neutri horum ſteterit, regni tamen capacem affirmet?

155 Et vt exempli cauſa ab Anglia non diſcedam, deſignatur quis à Regina, Hyberniæ Prorex ea conditione, qua cæteri, vt obedientiam nimirùm iuret, ac imperata faciat. At ſi is poſteà vel iurare detrectet, vel iurata præſtare omninò recuſet; erit ne aliquis qui hunc tamen officio idoneum exiſtimet, aut poteſtate ea dignum ad quam fuerat deſignatus? Atque vtrobique par eſt planè ratio, niſi quòd à cauſa noſtra illuſtrior multò ac clarior ratio exiſtit. Rex enim quiſque Dei miniſter, ac reipub. prorex eſt, à quibus dignitatem ac poteſtatem ideò accepit, vt ea præcipuè ac primo loco ad religionem Catholicam tuendam, qua ſalus omnium ac pax continetur; deindè ad iuſti-

tiam etiam vnicuique adminiſtrandam & rempub. legitimè defendendam vtatur. Hæc ſi quis facere manifeſtè obſtinatèq. recuſet, an non Regis etiam conditionem abnuit? an non ipſe iudicio ſuo diadema proijcit, ac indignum ſe planè hac maieſtate denunciat?

Religio ſola Romana principibus tuẽda.

156 At dicet fortaſſis Nauarræus mendax, religionem ego aliam ſaniorem induco, cultum Dei veriorem aut ſanctiorem tueor; ſed neque hoc ad rem vllo modo pertinet. Regum enim Chriſtianorum iuſiurandum, ad vnam religionem Catholicam Romanam,& nõ aliam inſtitutum eſt, huius ſolius Principes omnes profeſſionem ſollemnem in Baptiſmi Sacramento ab initio vſque reipub. Chriſtianæ conſtitutæ ediderunt, hanc in diadematis deindè ſuſceptione conceptis verbis defenſuros ſe promittunt. His igitur ſi non ſteterint iuramentis, hanc fidem, hanc colendi Dei ceremoniam ritúmque, hanc religionem fidemq. à

Chriſto inſtitutam, ab Apoſtolis traditam, ab Eccleſia commendatam, à maioribus cõſeruatam, à rebuſpub. receptam ſi deſeruerint; quamcunque deindè ſectam amplexus quis fuerit, ius tamen omne regnandi amittit, quia ſpontè deſerit, quod ſpontè promiſerat, & cuius ſolius cauſa reſpub. ſpontè liberèq. hanc ei dignitatem contulerat.

157 Hinc etiam infert vniuerſa Theologorum, ac iuriſconſultorum Eccleſiaſticorum ſchola (& eſt certum & de fide) quemcunque principem Chriſtianum, ſi à religione Catholica manifeſtò deflexerit, & alios auocare voluerit, excidere ſtatim omni poteſtate ac dignitate, ex ipſa vi iuris tùm humani, tùm diuini, hocq. antè omnem ſententiam ſupremi Paſtoris ac iudicis contrà ipſum prolatam, & ſubditos quoſcunque liberos eſſe ab omni iuramenti obligatione, quod ei de obedientia tãquam principi legitimo præſtitiſſent, poſſeq. & debere (ſi vires habeãt)

Vnde ius deponendi principes.

Silueſt. ver. hær. n. 14. Caſtro. li. 2. de hær. puni. Vbald. lib. 2 art. 3. c. 76. Victor. q. 2. de poteſt. Eccleſiæ.

iſtiuſmodi hominem, tanquam Apoſtatam, hæreticum, ac Chriſti Domini deſertorem & reipub. inimicum hoſtemq. ex hominum Chriſtianorum dominatu eijcere, ne alios inficiat, vel ſuo exemplo aut imperio à fide auertat.

Probatur ſententia.

158 Atque hæc certa, definita, & indubitata virorum doctiſſimorum ſententia, doctrinæ Apoſtolicæ conformis planè ac conſona eſt, qua prima ad Corinthios Diuus Paulus, vxorem fidelem eximit, à poteſtate infidelis mariti, eo ipſo quo ille cohabitare ſine iniuria, ac periculo religionis Chriſtianæ (cui omnia ſeruiunt) non permittat, cùm poteſtas tamen mariti in vxorem, non minor ſit, ſed aliquantò etiam maior ſiue naturam, ſiue Dei præceptum ſpectes, quàm Regis in ſubditos. Eadem etiam Epiſtola præcipit Apoſtolus Corinthijs, vt nouos iudices ex Chriſtianis populus fidelis ſibi cõſtituat, qui cauſis litibuſq. tẽporalibus præſint, ne videlicet cogerentur coràm iudice

1. Cor. 7.

1. Cor. 6.

infideli, Chriſtiq. perſecutore, cauſas agere. Ex quo infertur, quòd ſi potuerint noui iudices, authoritate Apoſtoli, per fideles conſtitui, excluſis gentilibus qui alioquin erãt legitimi; eadem etiam authoritate, ob eandem cauſam & finem, ab eiſdem fidelibus, & ob eadem vitanda incommoda, potuiſſent ſine dubio alij quoque Principes & Reges legitimè ſibi conſtitui, ſi vires Chriſtianis fuiſſent, ad rem exequendam.

159 Quod ſi in principes etiam gentiles, qui alioquin (vt iam diximus) ſuo iure legitimi erant, nec vllum iuramentum in fidei noſtræ obſequium acceperant, hoc erat licitum ad fidei Chriſtianæ defenſionem, cùm illi eam perſequebantur, (nam ſi pacatè Chriſtianos permittebãt, tollerandi quidem erant; quemadmodum & maritus infidelis ſi pacificè cohabitaret) quid tandèm faciendum erit de Chriſtiano principe, ſi à fide Catholica defecerit, cuius ſe obedientiæ, tùm

religionis profeſſione, tùm iureiurando etiam particulari ſubiecit? quid agendum erit, ſi alios turbare ac auertere voluerit, quid certè niſi vt impleatur votum Apoſtoli optantis? Vtinam abſcindantur qui vos perturbant, quid ſtatuendum erit ſi hæreticus, deceptor, aut perſequutor fuerit, cùm Chriſtus vehementer exprobret, & grauiſſimè minitetur Angelo Pergami (cui aliàs rectæ fidei, ac ſingularis conſtantiæ laudem tribuit) quod aliquos apud ſe Nicolaitarum hæreſim tenentes, & ſcandala alienis animis ponentes retinuerit? Et Angelo Thyatiræ eadem minitetur, quod mulierem Iezabel permitteret, ſeruos ſuos fideles impoſturis decipere?

Gal. 5.

Apoc. 2.

160 Eſt igitur certiſſima & indubitata hæc communis doctorum omnium Catholicorum ſentẽtia, de ſubditorum obligatione, ad Principes hæreticos repellendos, ſi fidei Catholicæ iniurioſi ſunt; quàm tamen cẽſuram duabus conditio-

Cõditiones duę prioris ſententiæ.

nibus (vt inſinuatum iam eſt) moderandam cenſent. Prima, ſi vires habeant ad hoc idoneas ſubditi; nam alioquin cùm id attentare, in maius ipſis ac religionis Catholicæ præiudicium cederet, legis diuinæ æquitas & benignitas neminem ad illud obligat. Secunda conditio eſt, ſi Regis crimen in manifeſtò iam ſit, ita vt negari amplius, aut de eo dubitari non poſſit. nam ſi dubia res & anceps eſſet, aut ſi princeps aliquis in occulto tantùm malè de religione ſentiret, aut hæreſim ſaperet, nec publicè tamen indicium ſui proferret, aut alios peruerteret: hæc ſubditis obligatio non incumberet, incumbit verò tùm cùm crimen in propatulo eſt, ac periculum reipublicæ in manifeſto. maximè verò omnium cùm res iam ab Eccleſia, ac ſupremo eius moderatore, Pontifice nimirùm Romano iudicata eſt; ad illum enim ex officio pertinet, religionis ac diuini cultus incolumitati proſpicere, & leproſos à mundis, ne inficiantur, *2. Paral. 26*

tur, ſecernere. Sicut legimus Azariam Pontificem Hebræorum, Regem Oziam, quod Sacerdotum officium ſuperbè admodum vſurpare voluiſſet (quod initium fuit cuiuſdam hæreſeos) virorum fortiſſimorum auxilio ſeuerè caſtigaſſe, & regno etiam exuiſſe, filio Ioatha in locum eius ſuffecto. Idem legimus de Ioada etiam Pontifice fortiſſimo, qui conuocatis centurionibus, ac collecta militum manu, Athaliam Reginam tyrannicè gubernantem, ac cultum Baal contrà religionem Hebræorum fouentem, regno priuandam ac interficiendam quoque præcepit, Rege Ioa pro ea conſtituto. Nec dubium eſt, quin vtrobique populus fidelis Pontificibus his, ad principes iſtos deponendos ac caſtigandos ſub grauiſſimi peccati pœna obedire tenebatur, eaq; de cauſa diuinæ eos litteræ vehementer laudant, quòd id effecerint.

Leu. 13.

2. Par. 23.

161 Quòd ſi principes iam inauguratos, ac conſecratos, regniſq; potitos de-

turbare poſſunt legitimè ſubditi (immò debent, & tenentur facere, ſi vires ſuppetunt) ob hæreſis ac apoſtaſiæ manifeſtū crimen, ne fides Catholica damnum patiatur; quantò iuſtiùs poterit obſiſtere Chriſtianus populus, ne is in Regem admittatur, qui nondum Rex eſt, & quem omnes ſciunt religionis Catholicæ infeſtiſſimum hoſtem eſſe, nec ipſe rem diſſimulat, quod in Nauarræo principe maniſeſtiſſimum eſt. Ratio euidens.

162 Certè non tantùm licèt, vt iam dixi, ſed ſumma etiam iuris diuini neceſſitate, ac præcepto, immò conſcientiæ vinculo arctiſſimo, & extremo animarum ſuarum periculo ac diſcrimine Chriſtianis omnibus hoc ipſum incumbit, ſi præſtare rem poſſunt. Nam non aliam ob cauſam tàm ſeuerè prohibuit Deus Iſraelitico populo in Deuteronomio, ne Regem alium quàm Iudæum ad regni ſoliū admitterēt, quàm, ne ſi gentilis eſſet, religionis ſinceritati periculū indè crearetur, cui omniū Summopere notandum. *Deut. 17.*

primò ac præcipuè proſpectũ eſſe Deus vult, & cætera omnia huic vni inſeruire.

De nobilitate Gallicana quæ Nauarræũ ſequitur.

163 Quod ſi ità eſt, quid igitur dicemus (inquies) de nobilitatis illa Gallicanæ parte, quæ Nauarræum ſequitur, qui ipſi Catholici cùm ſint (aut videri ſaltem volunt) hæreticũ tamen Regem admittendũ cenſent, vel quòd in ſpem contrà ſpẽ admittendum illum aliquandò inanitèr ſibi perſuadeant, vel quod ex ipſorum genere aut gente, aut familia ſit, vel quòd parti aduerſæ ſint ipſi infenſi, vel quòd hac ratione maiorem rerum licentiam, pinguiores prædas, & ſecuriorem bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem aut direptiones ſperent: has enim præcipuas eſſe rationes, quibus moueri poſſunt, manifeſtum eſt omnibus. Quæ tamen rationes cùm leuiſſimæ planè ſint, ac iniquiſſimæ; facilè eſt iudicare, quàm horrendis ſceleribus ſe inuoluant, quantiſq. criminibus & flagitiorum molibus implicatos ſe reddant miſerandi hi principes, dùm pecca-

torum omnium ac malorũ,quæ in Deum hominesque, in religionem, in patriam, in ciues perpetrantur, ipſi ſe cauſas & authores conſtituunt. Si enim initio ſtatim poſt Regis Henrici infelicem mortem, cùm reliqua nobilitate ipſi quoque ſe coniunxiſſent,ad Regem aliquem Catholicum de more iureq. patriæ conſtituendum: nihil earum calamitatum conſequutum fuiſſet, quibus modò Galliam miſerrimam cernimus. Sed iſti ſua ab alijs Catholicis ſeceſſione, non tantùm Dei cauſam prodiderunt (ad quam tuendam ab ipſo poteſtatem, ac dignitatem acceperant) ſed patriam etiam perdiderunt,cuius infamia & dedecus ad omnes poſteros tranſmittetur.

164 Neque ipſi ſine dubio Dei manum in hac etiam vita effugient, niſi maturè reſipiſcant: id enim certiſſima quadam obſeruatione temporibus noſtris perſpectum eſt, neminẽ vnquam operam ſuam hæreticis, quacũque de cauſa, vel quouis

Singularis punitio eorum qui hęreticis fauerunt.

rectæ intentionis fuco, in religionis Catholicæ præiudicium præſtitiſſe, qui ſingulari deindè pæna, flagitium ſuum non luerit; quod tàm in Gallicis Flandriciſq. quàm Scoticis & Anglicanis rerum innouationibus animaduerſum eſt. Quem enim finem Colinij, Montgumbrius, Cōdæus, cæteriq. hæreticorum in Gallia anteſignani acceperint, quem etiã Franciſcus & Henricus Valeſij, hæreticorum tandèm ex inuidia fautores & cooperatores occulti, ſortiti ſint, omnes vident. In Belgio verò vix vnus remanſit ex vniuerſa nobilitate aut clero, qui peſſimè non interierit, ſi Auriaci principijs (quod non pauci blanditijs decepti faciebant) fauiſſe noſcatur. Apud Scotos iam dixi de Hameltonijs, alijſque, qui per Elizabetham ſeducti, per ipſam poſteà caſtigati, & per alios hæreticos afflicti fuerunt.

Colinij. Valeſij. Hameltonij.

165 In Anglia celebre eſt, nullum extitiſſe Henrico aut Edouardo regibus, aut

Elizabethæ Reginæ ex tota nobilitate, ad religionem Catholicam perturbandam inſtrumentum, de quo ſupplicium grauiſſimum, ac manifeſtum per ipſos etiam ferè quibus inſeruierunt, Dei iuſtitia poſteà non ſumpſerit: id declarant ſub Henrico caſus grauiſſimi, ac interitus miſerrimi, tùm Volſæi Cardinalis, tùm Cromueli etiam Vicarij regij in ſpiritualibus, qui præcipui iniquitatis regiæ adminiſtri fuerunt. Annæ etiam Bolenæ ſuorumq. cædes, qui totius tragœdiæ caput extiterant. Id pariter oſtendunt duorum Ducum maximorum miſerandæ quidem, ſed meritæ calamitates, Suffolciani ſcilicet & Norfolciani, quorum primi familia extincta planè hodiè cernitur, alterius ſic oppreſſa eſt, vt extremo exitio proxima videatur.

Exépla ex Anglia.

Card. Volſæus.

Cromuelus.

Anna Bolena.

Dux Suffolciæ.

Dux Norfolciæ.

166 Idem declarant planè ſub Edouardo Rege ſupplicia duorum Semeyrorũ, ipſius Regis nomine de illis ſumpta, Ducis nimirùm Somerſetani, & fratris eius

Semeyri.

Angliæ Admiralij, qui Regi puero religionis mutandæ authores fuerũt,& vterque gladio tunc maximè percuſſi ſunt, cùm maximè regnare ac per hæreſis introductæ licentiã triumphare ſperabant.

167 Sub Elizabetha verò iàm dictum eſt,quàm miſerè perierint ij, qui præcipuam ei operam ad religionem innouandam ab initio nauarunt. Imprimis verò Dux alter Norfolcianus,& Comes Arundelius,quorum iſte exhauſtus, ac cõtemptus tabuit, ille afflictus per calumniam occiſus tãdèm eſt, cuius pater, auuſque, cùm ab hæreticis & ſchiſmaticis,ſub Hẽrico Rege,ad mortem condemnati eſſent, ipſe verò honori priſtino per Reginam Mariam Catholicam reſtitutus,opibuſq. auctus,& inſignem planè potentiam conſequutus fuiſſet, eam omnem poſteà Elizabethæ, ingratiſſimè ſanè, ad religionẽ Catholicam euertendam commodauit. In cuius pænam flagitij,ſupplicium deindè capitis ab Elizabetha accepit, vtinam

Ducis Norfolcij ingratitudo & ruina.

non

non animæ quoque æternum à Deo, cùm eo vſquè, vel ſpe vitæ, vel hæreticorũ fraudibus iuſto Dei iudicio deluſus eſſet, vt iam morti proximus, cùm ſecuris ictum accepturus eſſet, alienum ſe planè à religione Catholica profiteretur.

168 Huius Ducis filios, alterum quidem qui natu maior eſt, ac tàm ipſi Duci, quàm Arundelio Comiti (ex cuius filia naſcebatur) hæres ſucceſſerat, Elizabetha hodie captiuum & ad mortem quoque condemnatum tenet: alterùm verò qui Thomas Hayuardus dicitur, maiori longè contumelia notandum duxit, vt latro nimirùm publicus ac prædo maritimus fieret, Franciſci Draci, Richardi Grenfildij, aliorumq. furum ac latronum ſocius, quæ profectò nobiliſſimæ Hayuardorum familiæ infamia illuſtrior eſt, quàm ſi vel abſciſſis ceruicibus patris ſui, auiq. exemplum fuiſſet ſecutus, aut fratris proauiq. calamitates expertus.

Hayuardorum familia depreſſa.

169 Hodie etiã Ioannes Parottus eques

auratus Hyberniæ prorex, qui multis annis Reginæ ſeruijt voluntati, in Catholicis Hyberniæ perſequendis & affligendis, cùm ipſe perditè hæreticus ſit, Lōdinum reuocatus, cauſam capitis dicit, nec tàm Reginæ iudicio, quàm Dei iuſta ſententia hæc omnia moderantis ſcelerum ſuorum pænam luiturus breui expectatur.

Pericula nobilitatis quæ Nauarræum ſequitur.

170 Eadem penitus certiſſimèq. ſibi euentura proceres illi Galliæ perſuadeāt, qui modò Nauarræo hæretico, ſiue ob ſpem commodi, aut ſanguinis affinitatē, amicitiæq. affectū, ſiue ob inuidiæ odijq. ac æmulationis perturbationem contrà patriæ ciuiumq. ſalutem, contrà religionis, quàm profitentur incolumitatem, contrà Deum propriamq. conſcientiam adhærent: eandem, inquam, planè retributionis menſuram, eandem Dei iuſtiſſimam ſeueritatem expectent, vt ſiue Nauarræus proſperetur, ſiue cadat, ipſi certiſſima perditione pereant, niſi reſipiſcāt. Nam ſi Nauarræo ex animo ſucceſſerit,

ipſius manu cæterorumq. hæreticorum, ne obeſſe deindè poſſint, ſine dubio excidentur; numquàm enim ab iſtiuſmodi hominibus ſecuros ſe exiſtimabunt hæretici, qui repugnante conſcientia, contrà illam fidem ac religionem quam ipſi profitẽtur, perturbatione impulſi, alienis ad iniquitatem inſeruierint. Timebunt enim, ne recedente aliquando hac animi perturbatione, ipſi quoque ad ſe redeuntes, demoliri velint, quæ nunc ædificant, hocq. plurimorum exemplis demonſtratum iam eſt. Si verò (quod ex Dei bonitate, cauſæq. Catholicæ iuſtitia expectandum ſanè eſt) Nauarræus tandèm fractus diſſipetur; quid ni iſti quoque eodem iuſto Dei iudicio inuoluantur? quid ni illi, qui tantorum ſcelerum ſe fecerunt ſocios, pœnæ quoque participes futuri exiſtimentur? Intereà tamen, dùm ſpiritum hunc miſerabiliter ducent, incendiũ, buſtumq. ſuæ patriæ intuebuntur, alter alterius odijs, inſidijs, machæris conci-

det, & eò demùm res deueniet (quòd alibi vidimus) vt omnibus ſcilicet ſuſpecti, hæreticis pariter catholicisq. inuiſi, ſibi ipſis graues, ac poſteris infames, ſine honore, ſine memoria, in terra ſepeliantur, & grauiſſimorum ſcelerum, cùm Deo, tùm Eccleſiæ etiã eius obnoxij, ab huius tribunali condemnati, ad illius pariter condemnandi infeliciſſimè tranſmittantur.

171 Hæc cùm manifeſta ac certiſſima ſint, cùmq. ratione, & iuſtitia, & Dei promiſſis, & rerum vſu, ac regnorum exemplis, & experimentis liquidiſſimè conſtent; ſi quis tamen ab interitu ac præcipitio, perſpectis etiam periculis non ſe recipit, quid aliud iudicandum eſt, niſi reprobum in ſenſum à Deo eſſe traditum, ac derelictum, æternoq. Dei iudicio definitum iam eſſe, vt morte moriatur, & non viuat? *Eze:h.9.*

172 Contrà verò Catholici illi, qui verè hoc nomine digni ſunt, nimirùm pars illa

maior

maior meliorq. Galliæ, qui Dei cauſam mūdi commodis, religionis reuerentiam carnis & ſanguinis affectibus prætulerūt, qui Eccleſiæ iura, patriæq. leges illibatas eſſe volunt, & ad hoc ipſum ſanctiſſimo ſe fœdere, ad Chriſtianæ fidei defenſionem, æternamq. Gallicani nominis laudem glorioſè conſociarunt: quis non videt, quàm iuſtam, quàm illuſtrem, quàm ſanctam cauſam agant, quàmq. neceſſariam, non ſibi tantùm, ſed vniuerſæ etiam reipub. Chriſtianæ? Si enim hoc aliquando receptum fuerit, vt nullo diſcrimine regna tradantur, & homini hæretico, tanquàm furioſo gladius in manus, ad ſuam aliorumq. perditionem, nullo reſiſtente, faſces committantur, quid reliquum erit ſpei de vniuerſa hominum ſalute?

Catholicorum confœderatorum laus & iuſtitia.

173 Non igitur licita tantùm atque legitima, non ſancta ſolùm ac laudabilis, ſed neceſſaria quoque & ex obligatione eſt iſta Catholicorum Galliæ confœderatio, qua ſe ad Catholicæ fidei propu-

Nulli populo ſub damnationis pœna licet Regem hæreticū admittere.

gnationem, ad iuris Regij Chriſtianiſſimi conſeruationem, ad Eccleſiæ regniq. leges ac priuilegia tuenda, ciuitates, populiq. Gallicani, Sacramento ſanctiſſimo ſe inuicem deuinxerunt: hoc, inquam, non illi tàm ex arbitrio, quàm ex diuini mandati præcepto, nec ex electione tantùm voluntatis, quãtùm ex obligationis Chriſtianæ neceſſitate præſtiterunt. Sine ſummo enim animarum ſuarum periculo aliter facere non potuiſſent, nec vlli populo (quòd iàm dictum eſt) qui vires prohibendi habeat, liberum eſt, principem hæreticum, vel ſuſpectum admittere; neque eſt hoc Regibus reſiſtere, ſed tyrannos arcere, & ſi qui aliter humanis affectibus abducti fecerint, non ipſi tantùm perituri ſunt, ſed rationem etiam de alijs omnibus, qui vnà ſecum peribunt, ſine dubio reddituri.

174 Quod ſi ità eſt, manifeſtò fit inde conſequens, nõ eſſe bellum iniuſtiſſimum (vt Edictum Reginæ calumniatur) ſed

ſubſidium potius pium, chriſtianum, ac neceſſarium, quòd Catholicis Galliæ populis contrà Nauarræum hæreticum ac apoſtatã Rex Hiſpaniæ Catholicus elargitur, nec eſſe hoc contrà Regem Galliæ, ſed in Galliæ hoſtem, qui regnum per tyrannidẽ contrà leges ambit, nec forè hoc reliquæ Chriſtianæ reipublicæ periculoſum, ſed eſſe neceſſarium omninò, ac planè ſalutare, ne omnia penitus hæreſi permiſceantur, nec eſſe timendum (Deo iuuante) ne hoc bellum exitioſum futurum ſit Hiſpaniarum Regi, qui Dei cauſam ac totius reipub. Gallicanæ propugnat, ſed ipſi potius Nauarræo ac ſuis, & Elizabethæ quoque fortaſſis, quæ hæc ominatur, & quæ verà belli cauſa extitit, & tyrannos vbique excitat atque ſuſtentat, quo perpetuis omnia ſeditionibus inuoluant; hæcq; dicta ſint ad primas eius criminationes. Videamus modò quæ ſequuntur.

Pium Regis ſubſidium.

SECTIO

SECTIO III.

Edicti verba.

CUm igitur nunc pro certo intelligamus, Regem Hiſpaniæ, vt nouo aliquo colore actiones ſuas exorbitantes, & violentas muniat, procuraſſe nuper, vt Mediolanenſis quidam Vaßallus ſuus ad Papatum Romanum exaltetur, eumq. ſeduxiſſe, vt ſine conſenſu Collegij Cardinalium theſauros Eccleſiæ exhauriat, ad milites in Italia (quæ anteà nullum in ſe bellorum ſonitum habebat) multisq. alijs in locis conſcribendos, quos ſub nepotis ſui ductu in Galliam mittat, ad regnum illud inuadendum, quod illi Eccleſiæ in omnibus oppreßionibus ſuis auxilio ſemper fuit. Cumq. hoc bellum tàm generaliter ac potenter contrà Galliam ſuſceptum, noſtro etiam ſtatui ac dominijs non poteſt eſſe non valdè periculoſum, præſertim cùm nobis multis modis pernotum ſit, regis

Papa Mediolanẽſis.

prapa-

præparationes tàm maritimas quàm terreſtres maiores forè contrà noſtram coronam ac ditiones pro anno ſequente, quàm vnquam hactenus fuerunt.

Præterea, cùm ſciamus Regem hunc pro iſtis promouendis, ex occaſione poteſtatis Papæ ſui peculiaris, quem ſibi ſubiectum ac à cinctu ſuo pendentem habet, practicaſſe cùm quibuſdam præcipuis ſeditionum capitibus, regni noſtri ingratis ſubditis (licèt obſcuris admodum natalibus) vt magnis laboribus, ac Regis ſumptibus multitudinem quandam colligant diſſolutorum adoleſcentium, qui partim ob victus inopiam, partim ob crimina à ſe commiſſa facti ſunt fugitiui, rebelles, ac proditores Patriæ. Tractatio cùm Anglis.

Cumq. pro his alendis ac ſuſtentandis receptacula quædam, partim Romæ, partim in Hiſpania, alijſq. in locis, Seminariorum nomine, erecta ſint, in quibus inſtituantur, & cùm ſatis edocti in ſcholaſticis quibuſdã ſeditionibus videntur, tunc inde clàm in dominia noſtra remittantur, cùm ampliſſimis Ponti- Seminaria.

ficis Romani facultatibus, ad perſuadendum omnibus, quibuſcum agere audebunt, vt obedientiam noſtram, noſtraq. coronæ debitam deſerant, ſpe nimirùm Hiſpanicæ inuaſionis, qua eos mirabiliter ditandos forè reliquorum noſtrorum fidelium ſubditorum opibus perſuadent.

Sacerdotũ facultates, & propoſitum.

Propter quàm cauſam etiam Sacerdotes iſti ſubditos noſtros, quibuſcum tractant, iuramentis & Sacramentis quibuſdam deuinciunt, vt ſubiectionem ſuam naturalem nobis debitam abiurent, omnemq. obedientiam, vires, & opes Regi iſti Hiſpanico offerant, ad exercitum eius iuuandum cùm venerit, ad quam etiam rem efficacius efficiendam, & vt facilius populo ſimpliciori ſeminatores iſti proditionum imponant, bullas quaſdam Papales ſecum adferunt, quarum aliquæ indulgentias habent, promittentes cælum omnibus, qui ſua conſilia ſequentur, aliæ verò maledictiones continent, damnationem & infernum minitantes, ſi qui fortè perditi eorum perſuaſionibus non acquieſcunt.

RE-

RESPONSIO.

LOngiùs omninò progreditur Reginæ querimonia in Regem Hiſpaniæ, tanquam, quæ nihil mali faciens, multum abs Rege præter meritum ſit perpeſſa; non enim per ſe tantummodò, quòd ſuperiùs dixerat, ſed aliorum quoque viribus Regem contrà ſe pugnare Regina innocens conqueritur. Ad tria autem ferè criminationum capita reuocari poſſunt, quæ hac in ſectione obijciuntur; quorum primum eſt de eis, quæ Rex cùm Pontifice Gregorio decimo quarto ad bellum Galliæ inferendum egiſſe dicitur. Alterum de eis, quæ tractaſſe fingitur cùm Anglis quibuſdã, de colligendis adoleſcentibus ad Seminaria inſtituenda. Tertium verò de commiſſione ac mandatis, quæ ijdem adoleſcentes, abſolutis ſtudiorum ſuorum curriculis, referre ſecum in patriam accu-

Tria capita iſtius ſectionis.

ſantur, ad ſeditiones mouendas. quibus omnibus reſpondendum mihi eſſe hoc loco video.

Regis & Reginæ cō paratio.

176 Et prima quidem criminatio, quā-quam vehemens & odioſa, & omni Cecilij acumine ac malitia ad inuidiam cō-trà Regem concitandam perſcripta ſit, ridicula tamen eſt,& inanis planè, apud eos qui non verborum ſonitum, ſed rerum ac veritatis momenta conſiderant. Quis enim non rideat, cùm audiat accuſationis iſtius pergraue exordium, Regem nimirùm Hiſpaniæ, vt actiones ſuas exorbitantes & violentas nouo aliquo colore muniat, procuraſſe, vt Vaſſallus quidam ſuus Mediolanenſis ad Papatum exaltaretur? Primò enim actiones ne Regis, vel Reginæ violentiores aut moderatiores extiterint,& num ad rectam rationis, pacis, ac iuſtitiæ normam magis regulatæ, vel ab eadem magis exorbitantes iſtius vel illius operationes fuerint, ex eis quæ præcedenti ſectione declarata ſunt,

intelligi poteſt, vbi vtriuſque principis nonnulla inter ſe collatio propoſita eſt, & abs Rege quidem nil niſi fidem, quietem, tranquillitatem, æquitatem, pietatem, religionis ſtudium, vniuerſo gubernationis ſuæ tempore, extitiſſe demonſtratum; abs Regina verò econtrà nil niſi perfidiam, hæreſim, ſeditiones, bella, proditiones, rerumpub. euerſiones, regnorum ruinas & conuulſiones proſeminatas; adeò vt ſi ſcriba Cecilius tàm fuiſſet conſilio prudens, quàm fuit odio præceps, numquam profectò in harum nos iterum rerum mentionem induxiſſet.

177 Deindè verò, quod de ſubdito Regis Mdeiolanenſi Pontifice Romano creato immurmurat, languidum planè & inane eſt: non enim nouum cuiquam videri poteſt, ex ampliſſima ditione Mediolanenſi, Pontificem aliquem aſſumi, cùm tres præclariſſimos, ætate noſtra, Prouincia illa Eccleſiæ dederit, Pios vide- Papæ tres Mediolanenſes.

licet quartum & quintum, & hunc Gregorium decimum quartum, cùm nobilitate, tùm etiam pietate inſignem. neque mirum videri debet aut inſuetum, ſi pro Regis imperij magnitudine, ac præſtantia, ex ſubditis eius aliquis ad Pontificatus dignitatem euehatur, cùm latiſſimè pateant Maieſtatis eius dominia, & infinitus prope nobiliſſimorum, doctiſſimorumq. virorum numerus eiſdem contineatur, & vt cætera regna taceam, cùm maiorem quoque Italiæ, inſularumq. adiacentium partem ſubiectam ſibi habeat, ex quibus ferè tēporibus noſtris, ob maiorem Eccleſiæ tranquillitatem, Pontifices Romani creari ſolent.

Regis vera pietas & humilitas.

178 Illud mihi magis mirandum ac ſuſpiciendum, de ſingulari Regis virtute videtur (quòd Regina tamē ei vertit vitio) quòd monarcha tàm potens, ac inclytus cùm ſit, cupiat ex ſubditis quenquam ad tàm altum dignitatis culmen ac faſtigiū efferri, vt pro ſubdito Pater, ac princeps

ſibi

ſibi fiat, quòd hæreticorum nullo modo ferrè poteſt ſuperbia, catholicorum verò Imperatorum ac Regum, vel hoc vno maximè elucet chriſtiana ac pia humilitas, quòd quem naturæ, & ortus conditione ſubditum habuerunt, eundem pro Chriſti amore, ac religionis reuerentia, ſuperiorem quoque non grauatè agnoſcant.

179 Nec eſt, quod emolumenti temporalis ſpe hoc Regem cupiuiſſe, Reginæ Edictum tàm malitioſè interpretatur, hæc enim ſpes, cùm infima eſt, & tanto Rege indigna, tùm incerta etiam & ſæpiſſimè quoque inanis cernitur. Nam Pontifices, cùm ad eam dignitatem peruenerunt, quam omnium maximam, non ſe ab hominibus, ſed à Deo accepiſſe intelligunt, nulli ſe principum tàm deuinctos exiſtimant, vt quæ officij ac poteſtatis ſuæ ſunt, liberè non velint iudicio ſuo moderari. Atque hoc vel vnius Pauli quarti Pontificis, tempeſtate noſtra, exē-

plo conſtitit, qui cùm Neapolitanus eſſet, & Regis Philippi antè Pontificatum ſubditus, cùm nulló tamen habuit Regia Maieſtas maiores de rebus tẽporalibus difficultates. Vnde facilè apparet, quàm vana ſit iſta & importuna ſuſpitio, quam Cecilij malignitas hoc in loco inſerere voluit, de Regis neſcio qua vtilitatis ſuæ cupiditate, in Gregorio decimo quarto promouendo.

Criminatio ridicula.

180 Sed longè adhuc malignius & ineptius quoque eſt, quod adiungit, Pontificem hunc per Regem adeò ſeductum, vt Eccleſiæ theſauros ſine conſenſu Collegij Cardinalium exhauriat; Italiam quoque turbet colligendis militibus, quæ vel ſonitum bellorum anteà non habebat, Galliæq; regnum inuadendum decernat, quod Eccleſiæ Romanæ in omnibus oppreſſionibus ſuis auxilio ſemper fuit. Pergrauis ſanè querela, perindè ac ſi Reginæ Angliæ tanta eſſet cura de Romanæ Eccleſiæ, quam extinctam cupe-

ret, theſauris, vt eos expendi ſine conſenſu Cardinalium, quos illa etiam deletos vellet, ægrè pateretur, aut ſi illa in Anglia latitans, & non tantùm à fidelium communione, ſed ab orbis etiam Catholici commercio reſecta, ſcire potuiſſet, quid Romæ in Pontificis & Cardinalium Senatu, his de rebus actum fuerit, vbi certum eſt, nihil eorum geſtum eſſe, quæ illa ſomniat, aut Cecilius fingit, hocq. Edicto inſipienti plebi credendum proponit. Perridiculum etiam eſt, quod de bellorum ſonitu in Italia per militũ iſtorum conſcriptionẽ, Edicti author obſtrepit, quaſi hac ratione Italiæ ſcilicet pax turbaretur. Non enim milites ex regno aliquo educere, ſed in illud inferre potius ad bellum pertinet. ſed Reginæ Scriba tàm attentus fuit ad omnem auram aut voculam, qua moueri poſſe inuidiam aliquam cogitaret, vt non quid diceret, ſed quanta potius malitia diceret, animaduerterit.

Stulta accuſatio & ſibi non cohærens.

181 Illud tamen quod ſequitur, neſcio ſanè improbitatis ne plus, an ſtoliditatis habeat, quo Edictum hoc Gallicani Regni in Eccleſiam Romanā antiqua officia ac merita cōmemorat, vt oſtendat Pontificē ingratè facere, dùm milites, in Catholicorū Gallorum ſubſidium ſummis precibus ab illis Gallis petitos mittit. Quæro, enim à Cecilio, quorumnam fuerunt illa officia Gallorum in Eccleſiam Romanam? an non Catholicorum? credo non negabit, neque de populis, neque de principibus: vtrique enim ſemper ad hanc vſquè ætatem Catholiciſſimi fuerunt, vnde etiam & Chriſtianiſſimorum nomen ſunt conſequuti.

182 Quæro deindè, contrà quos fuerūt officia hæc, & auxilia Gallicani Regni, ad Eccleſiæ Romanæ oppreſſiones ſubleuandas? an non fortè contrà Græcos ſchiſmaticos, vel hæreticos? an non contrà Lombardos Arrianos, alioſq. tyrannos? an non contrà Imperatores, qui ali-

quandò

quandò iniquiſſimè in Eccleſiam deſæuiebant? Videamus igitur vt iſta cohæreant. Nauarræus amicus ne eſt vel inimicus Eccleſiæ Romanæ? non dices, opinor, Cecili, amicum, ne inde Reginæ tuæ facias inimicum; quamnam fidem aut religionem profitetur? num eam, quæ fuit illorum Galliæ Regum, qui Eccleſiæ Romanæ opitulati ſunt? non audebis, ſcio, cōfiteri, ne papiſtā quoque eum reddas. Quid igitur? contrà quos ſunt iſta Pontificis auxilia? contrà Nauarræum certè, qui vel te fatente, inimicus eſt, & hoſtis Eccleſiæ Romanæ, contrà Gallum non minus ſchiſmaticum & hæreticum, quàm fuerint vnquam Græci, contra Caluiniſtā Arrianis longè nocentiorē, contrà Principem à fide Catholica apoſtatātem, relapſum, excōmunicatum, depoſitū, ac condemnatum iudicio longè grauiori, atrocioribuſq; de criminibus, quàm vllus vnquam Imperator, tyrannus, aut Chriſtiano nomine Eccleſiæ perſequutor.

Nauarræus quis.

Quibus auxiliatur Papa in Gallia & cur.

183 Contrà verò qui auxilia hæc ab Eccleſia Romana poſtulant, Catholici ſunt,& eiuſdem cùm antiquis illis Gallorum populis, principibuſq. nobiliſſimis, tùm religionis, tùm etiam pietatis, eiuſdem planè in Eccleſiam Romanam obſeruantiæ, à qua pro filiorum iure opem implorant, totius Regni Gallicani nomine, contrà tyrannum & hæreticum, qui per vim & arma, contrà ius faſque, contrà Regni leges, contrà Eccleſiæ religioniſq. canones, & contrà expreſſum iuramenti Sacramentum, regnum ambit. Contrà hunc,& pro his deſignata fuerũt Gregorij decimi quarti auxilia. qua fronte igitur tù, Cecili (homo leuiſſime) hanc amantiſſimi patris tàm piam ac neceſſariam opem, ad filios oppreſſos recreandos, Gallicani Regni inuaſionem vocas? quo pudore iſtius Regni merita in Eccleſiam Romanam hoc loco exprobras? nonne vides, quòd vniuerſus te mundus ex hac vna fraude deceptorem, calum-

niatorem, ac ſycophantam deprehendet? quòd rem pro re, perſonam pro perſona, negotium pro negotio, tempus pro tempore tam apertè ac impudenter ſupponas?

184 Quæ tua eſt iſta Rhetorica? quæ dialectica? quæ ratiocinatio? Eccleſia Romana, Regno Gallicano Catholico obſtricta eſt ob beneficia multa accepta, ergo nunc ingratè facit, dùm eidem Regno Catholico ſuppliciter petẽti, ſubſidia mittit, ad hominem hæreticum, hoſtemq. communem ab eiuſdem Regni ceruicibus depellendum. eadem planè eſt iſta argumentatio cùm illa, qua vos in Anglia ſceleratiſſimè infertis. Antiquæ Regni leges, hæreticos ac perduelles mortis ſupplicio caſtigandos decernunt, ergo eiſdem etiam mori Catholici debent, diſſimili licèt in cauſa ac ſenſu planè contrario. Cecilij dialectica.

185 Sed timendum eſt (inquit Edictũ) ne bellum hoc tàm vniuerſaliter, ac po-

tenter contrà Galliam ſuſceptum, ad nos etiam aliquandò pertingat, cùm Regis vires longè ſint contrà nos maiores ad annum venturum, quàm hactenus vnquã extiterint. At quid hoc quæſo, Cecili, ad Catholicos? quid hoc ad Ieſuitas, & Seminariorum Sacerdotes? ſi vos latronum omnium, & furum ſocios, ſi vos perduellium & rebellium præceptores, ſi vos tyrannorum duces, hæreticorum anteſignanos, ſeditioſorum incenſores, & ſceleratorum omnium nõ ſolum participes, ſed principes vos feciſtis: quid mirum eſt, ſi pœnam tandèm timetis? immò vtinam certè ſic etiam timeretis, quemadmodum pro rei grauitate timenda eſſet. Nam quidquid fuerit de Regis Hiſpaniæ potentia & copijs (quas non ſolùm pro anno futuro maiores, ſed quotãnis etiam valentiores forè, pro imperiorum maieſtatis eius amplitudine, & ſumma iuſtitia qua eis vtitur, exiſtimare poſſumus) quidquid, inquam, de his, vt de rebus huma-

Cur Angli meritò pœnas timeãt.

nis

nis & fluxis fuerit, certiſſimum tamen & indubitatum eſt, hanc veſtram perturbandi regna licentiam, & perſequendi bonos crudelitatem impunitam non forè, niſi Dei potentia (quòd eſſe nõ poteſt) de cælo perierit. Stat enim firma, cõſtans, perpetua, immutabilis Dei ſententia, de ſæuis hominibus & viris ſanguinum ſeueriſſimè tandèm caſtigandis, quæ cælo etiam terraq. tranſeunte non tranſibit, *Pſal. 72.*
„ & cùm perierint peccatores videbis.

186 Sed veniamus iàm ſi placet ad ſecũdum accuſationis caput, quo atrocius multò Edictum criminatur, Hiſpaniæ Regem cùm Anglis quibuſdam præcipuis ſeditionum capitibus egiſſe, vt multitudinem quandam adoleſcentium diſſolutorum, Regis ſumptibus colligant, ad Seminaria quædam implenda, quæ partim Romæ, partim in Hiſpania alibiq. inſtituta ſunt, ad hos alendos, & ad ſcholaſticas quaſdam proditiones edocẽdas, &c. qua in criminatione, cùm multa conti-

Secundum ſectionis Caput.

neantur,

neantur, neceſſariò mihi faciendum videtur, vt per partes diſtinctius explicentur.

Card. Alanus. Robertus Perſonius.

187 Primò igitur, quinam illi Angli ſint, quos præcipua ſeditionum capita Reginæ Edictum hoc loco appellat, partim intelligi poteſt ex ijs, quæ hic de ſeminarijs dicuntur, partim ex ſequẽti ſectione, vbi nominatim Angli duo, Illuſtriſſimus nimirùm Cardinalis Alanus, & Robertus Perſonius Societatis Ieſu presbyter, in crimen vocantur, quòd Hiſpaniarum Regem contrà Angliã incitent. Quòd verò hoc in loco, non illos cùm Rege, ſed cùm illis egiſſe Regem, de adoleſcentibus his colligendis dicitur, hòc ad contemptum pertinet; quemadmodum & illud de Pontifice, quòd Regi ſit peculiaris & à cinctu eius pendens. Eſt enim mulieris iſtius hoc ferè ſingulare, vt Principes omnes Catholicos, ſe licèt infinitis partibus potentiores, & digniores, contemptui planè haberi cupiat, dùm illa interim domi tot

ſe honoribus cumulandam præcipit, tùm eccleſiaſticis, tùm ſecularibus, vt adorandam ſe planè, & tanquàm alteram Ieroboami vitulam, in monte ſuo Bethel, contrà Hieruſalem, & Deum, proponere ſe colendam videatur. *3. Reg. 12.*

188 Hos igitur duos viros quorum alter Romæ, alter in Hiſpanijs in præſentia degere dicuntur, præcipua ſeditionum capita, Regina vocat, vel quòd Catholicorum ab hæreſi ſeceſſionis, præcipui quidam authores extiterint (quanquam hanc eis laudem cùm alijs multis nationis Anglicanæ digniſſimis viris communem eſſe intelligo, qui libris ſcriptis, ſermone, & opere, præclariſſimè ſanè Reginæ ceptis hac in re reſtiterũt) vel quòd præ alijs fortaſſe ſeminaria promouerint, quæ omnium peſſimè Regina odit, & Cecilius timet, tanquàm belli cuiuſdam immortalis, & domeſtici ſedes, quibus difficillimum fuerit humanis viribus obſiſtere, vel tandèm quòd propius

Quare Alanus & Perſonius Reginæ inuiſi.

his annis præteritis, Pontifici Maximo & Hiſpaniarum Regi aſtiterint, à quibus Reginæ conſcientia, tamquàm à præcipuis reipub. Chriſtianæ, & vtroque gladio potentiſſimis Monarchis, neſcio quàm de factis ſuis vindictam metuere videtur.

189 Nihil autem obiectum hic video de vera aliqua ſeditione, quòd in acie nimirùm, contrà Reginam ſteterint (quod Zuinglius tamē, & alij eius ſequaces quos Regina pro ſanctis habet, contrà reſpub. ſuas Catholicas ſumma cùm laude ab iſtis dicuntur feciſſe) vel quòd in caſtris hoſtium aut rebellium fuerint (quod verbi tamen Caluiniani miniſtris vſitatiſſimum eſſe hodie in Gallia, Belgio, Scotiaq. videmus) vel quòd libris, concionibus, aut ſermone quenquam Catholicorum ad defectionem hactenus ſint cohortati; immò contrà potius id egerunt & agunt, vt ſumma patientia perſecutiones iniuſtiſſimas, & crudeliſſimas catholici tolerent; cùm Elizabetham ſuoſque,

Quare viri iſti proditores dicantur.

Maria ſorore in Anglia Regnante, perpetuò rebelliones actitaſſe ſuprà ſatis demonſtratum ſit. Vnde igitur viri iſti ſeditioſi, vnde proditores dicuntur? ex eo, nimirùm, ſolo, quo Chriſtus Dominus ſeditionem populo commouiſſe dicebatur, quòd doctrinam veram profeminaret; quòd mores impios Scribarum & Phariſæorum reprehẽderet: ex eo etiam quo Diuus Paulus cæteriq. Apoſtoli, ſeditioſi, rerumpublicarum perturbatores, ab inimicis veritatis iniquiſſima planè calumnia denunciabantur. *Luc. 23.* *Act. 24.* *2. Cor. 6.*

190 Hinc etiam ingratos ſui regni ſubditos Regina vocat, hinc cõtrà patriam, & naturam facere eos proclamat, ſed ridiculè planè; vtri enim maiorem patriæ gratiam referant; Regina ſcilicet, quæ accepto diademate, diuitijs & voluptatibus infinitis, eam ſic afflixit, orbauit, colliſit; & in extrema pericula adduxit, vt ſpirare tantùm videatur; an iſti, qui ortus tantùm accepto beneficio, cõtinuis curis

pro ſalute eius laborauerunt, continuis precibus & lacrymis inſtiterunt, perpetuis laboribus periculiſq. vitas ſuas obiecerunt, facilè eſt iudicare.

De natalibus.

191 Sed quid eſt quod Scriba Cecilius hoc loco, per parentheſim quandam, de obſcuris horum virorum natalibus interſerit (nam ab iſtius acumine & ſalibus profectum interpretor; vt Catholicum neminem hoc Edictum ſine contumelia nominet) quid, inquam, eſt quod homo ſubdolus hoc ſibi conuitio velit? obſcuri enim natales aliquandò illegitimos, aliquandò verò ignobiles ſignificare ſolent. Si primum igitur velit, inauditum planè loquitur, numquam enim iſtiuſmodi ſermo inter Anglos percrebuit, quòd viri iſti illegitimis natalibus prognati eſſent. Et res certè in manifeſtò videtur poſita: nam extant eorum fratres, ſorores, parentes, & conſanguinei, qui hanc calumniam mendacij arguant. Deindè etiam Eccleſiæ Catholicæ presbyteri ſunt, cuius di-

ſciplina in eo quoque præter cætera ſingularis eſt, & à promiſcuis & pollutis hæreticorum ſynagogis longiſſimè diſſita, quòd nullum ſpurium, neminem illegitimum, nullum bigamum aut trigamum, nullum homicidam, aut alia infamiæ nota celebrem (quod apud hæreticos tamen vſitatiſſimum eſt) ad ſacerdotium admittat. Perquirat ergo Cecilius, ſi hac in re cùm iſtis diſpenſatum inueniat, aut ſi Canon Eccleſiaſticus in eis fuerit prætermiſſus, aut violatus, & deſinat tàm impudenter calumniari. Impudenter dico? immò & imprudenter; dùm enim Sanderi hiſtoria tàm fœda & inaudita de impuriſſimis Elizabethæ Bolenæ natalibus mundo narrat, imprudentiſſimè profectò ab eius Scriba factum eſt, vt iſtiuſmodi rerum in ipſius Edicto memoria renouaretur.

192 Si verò natalium obſcuritate generis ignobilitatem innuere velit Cecilius; primò ſanè, licèt res in confeſſo eſſet, in-

commodè tamen hoc dici, vel apud Anglos, vel à Cecilio mihi videtur. Apud Anglos quidem, quia nulli opinor genti tàm frequẽs hoc eſt (ſaltem his temporibus) vt plebe ijs hominibus honores ſummi deferantur, quàm in Anglia, vbi, vt cæteros ordines taceam, ſi vniuerſam pſeudoepiſcoporum phalangem, farraginemque, qui hodiè magnificè ſub Elizabetha dominantur, percenſeas; vix vnum reperias, qui ex aliqua nobilitatis particula exiſtat. Cuius rei ratio illa dari ſolet à multis, quòd Anglicana nobilitas venationibus, ludis, ac delitijs dedita, ſtudiorũ labores nullo modò ferat: quàm rationẽ ego quoque magna ſaltem ex parte non inficior, hanc aliam tamen adiungendam eſſe iudico, miniſterium nempè verbi Caluiniani tàm ignominioſum iam eſſe & deſpicabile, ipſorum etiam hæreticorum oculis, qui nobilitate aliqua pollent, & tot hominibus perditis, infamibus, & ſceleratiſſimis communicatum, vt nemo ferè

Ignobilitas Cleri Anglicani.

nisi

niſi inopia compulſus, licèt opinione hæreticus, ad illud ſe adiungat; hincq. fieri, vt infimis etiam hominibus ad ſummas in eo prælatias facillimè pateat aſcenſus. quod cùm omnium penitus exemplis, qui eas hodiè poſſident, demonſtrari poſſe dicatur, mihi ſanè de duobus certiſſimè cõſtat, in altiſſimo ſolio hodie poſitis, & ab infimo ſolo nuperrimè excitatis. Pierſus enim, qui ſedem Archiepiſcopalem Eboracenſem occupat, & Coperus, qui Vintonienſem reliquarum omnium locupletiſſimam vſurpat, Oxonij ambo nati ſunt, alter aratore paupere, ſutore alter planè mendico, & eiuſdem ferè omnes ſunt cæteri farinæ. Pierſus. Coperus.

193 Nec abſimile valdè eſt, quod ſuprà de præcipuis quibuſdam Reginæ Conſiliarijs declaratum vidimus. Vnde & incommodè dixi hanc à Cecilio de nobilitate generis inductam exceptionem, cuius natales ſuperius explicati, ſummam videntur obſcuritatem referre. Quam- Ridicula Cecilij ſuperbia de ſua nobilitate.

quam poſteà (pauciſſimis nimirũ ab hinc diebus) dùm hæc ſcriberem, epiſtolam quandã Cecilij manu diligentiſſimè exaratam vidi; qua exploratori cuidam ſuo Antuerpiæ latitanti, generis ſui nobilitatem eo vſquè dilatat, vt non ſolùm à viris nobilibus, verùm etiam ab antiquiſſimis quoque Cambrobritanniæ, ſeu Vualliæ principibus, qui Angliæ Regno olim potiebantur, ortum ſe glorietur, quod an quiſquam Anglorum legere poſſit ſine ſtomacho, neſcio, ſine riſu nemo certè, opinor. Si enim hoc aut verùm, aut ferendum ſit, quid aliud expectandum, quàm vt ſtirpi quoque Regiæ aliquandò ſe ingerat Cecilius, & ſordes ſuas abiectiſſimas, in principum etiam antiquiſſimorum genealogias transfundat, quo Regnũ tandèm ſibi aut ſuis affectet; quòd iam nunc agitare animo à non paucis exiſtimatur, per Arbellæ ſcilicet cùm nepote ſuo ex filio connubium, quæ puella ex Reginæ Scotiæ ſtirpe progna-

ta, nonnihil iuris ad Regni quoque ſucceſſionem prætendit.

194 Sed erit fortaſſe operæprecium, accuratius aliquantò, hanc ipſam Cecilij epiſtolam de generis ſui ſplendore inſtitutam, ad examen aliquod reuocare, ſi prius nonnulla ad id reſpõdeamus, quod initio ſtatim præmittit de cauſis & ſucceſſu perſecutionis in Catholicos. Cecilij epiſtola ad exploratorẽ.

195 Perſcripta fuit hæc epiſtola Londini, ex palatio Regio Vueſtmonaſterienſi, quarto idus Ianuar. anni præſentis 1592. ad exploratorem, ſeu ſpeculatorem quendam, qui Antuerpiæ pro more res obſeruabat, quarum Cecilium per tabellarios admonebat. Inter cætera verò, quæ iſte perſcripſerat, de Ducis Parmenſis profectione in Galliam, libellum etiam quendam idiomate Anglicano editum, & impreſſum, Cecilio tranſmiſerat, quo breuiſſimè quidem, ſed liquidiſſimè, & ſatis neruosè Edicto huic reſponſum fuerat: ad quã rem reſcripſit Cecilius his verbis.

Cecilij verba.

„ 196 Ago tibi gratias de exemplari, quod
„ huc miſiſti, reſponſionis nuper editæ, ad
„ recens Reginæ Edictum, contrà Sacerdo-
„ tes, & Ieſuitas, qui huc mittuntur ad ſub-
„ ditos ſuæ Maieſtatis auertendos, ne obe-
„ dientiam naturalem, quæ Reginæ debe-
„ tur, vt ſupremæ Dominæ, præſtent. In
„ quod Edictum etſi reſponſionis auctor
„ maleuolis ac mendacibus feratur morſi-
„ bus; huius tamen Edicti ſcopus ac pro-
„ poſitum, non poteſt non probari vniuer-
„ ſis Regnis & rebuſpublicis, quæ legitimè
„ ſemper, & vbique eos caſtigant, qui na-
„ turales ſubditi cúm ſint, alios tamen re-
„ trahunt à naturali obedientia ſui Princi-
„ pis, vel ipſi retrahi ſe patiuntur, eaq. re
„ rebellionem ſuam profitentur. Et quan-
„ tùm ad formam & modum inquiſitionis
„ huius Anglicanæ, quam iſte adeo crimi-
„ natur, nullus omninò Princeps abſtinebit
„ ab inquiſitione, vbi cauſæ non deſunt ſu-
„ ſpitionum, neque retardabit hunc ne-
„ ceſſarium Reginæ curſum, & procedēdi

modum in caſtigandis iſtiuſmodi hominibus, audax iſtius reſpondentis cenſura; cùm certum & exploratum ſit, plures hodiè Sacerdotes & Ieſuitas vno anno in Angliam immitti, quam olim ſeptem annorum ſpacio ſubingredi ſolebant. Hæc Cecilius.

197 Atque hic primò animaduerti diligenter ab omnibus velim, quantopere ingeminet Cecilius voces has, naturalem obedientiam, & naturales ſubditos, perindè ac ſi omnia iam iterum ad naturæ tantummodò ductum, & præſcriptionem reuocari vellet, prætermiſſa omni diuinæ gratiæ & religionis memoria, qua vnà re tamen Chriſtiani hodie cenſendi ſunt ſubditi, id eſt, in Chriſto & propter Chriſtum, vt vbique innuunt Apoſtoli. Et ſuprà quoque ſectione proximè præcedenti, prolixè ſatis oſtenſum eſt, ius regnandi, non naturali, ſed ciuili iuri, & cuiuſque reipublicæ ſingularibus decretis, & cōſtitutionibus tribuendum eſſe. Quò

De obediētia naturali & chriſtiana.

2. *Cor.* 2. *Coloſ.* 3. *Epheſ.* 6. *Heb.* 13. 1. *Pet.* 2.

etiã manifeſtior redditur abſurdiſſimus iſte Cecilij atheiſmus, qui non niſi natura ſubditorum officium in principes metiendum iudicat, neque vllam Dei aut conſcientiæ (vt videtur) rationem habendam. Nam ſi hoc non iudicat, nihil dicit, cùm toties inculcat obedientiam naturalem; hoc enim ſolum Catholicorum Anglicanorum eſt hodie negotium, hoc vnicum eorum apud Ceciliũ reliquoſq. perſecutores crimen & peccatum, quòd illi Reginæ obedientiæ, quam toties ipſe naturalem vocat, præferendam iudicent aliam (in rebus præſertim religionis) quam ſupernaturalem eſſe exiſtimant, Deoq. & religioni, & Eccleſiæ Catholicæ,& conſcientijs ſuis deberi; neque hæc obedientia religioſa & chriſtiana, contrà illam naturalem eſt ſiue humanam, quæ terrenis principibus naturæ lege debetur (vt impiè ac tyrannicè ſtultiſſimèq. perſuadere vellet Cecilius) ſed ſuprà illam eſt, eò quod naturæ parenti & auctori ex-

hibeatur,

hibeatur, ambæq. in omni republica legitimè adminiſtrata, ſuauiſſimè cohærent, & aſſociantur.

198 Quod verò affirmat Cecilius, hunc ſanguinarium Reginæ curſum, in mactandis Catholicis ità neceſſarium eſſe, vt retardari iam nullo modo poſſit, id tribuendum magis eſt Reginæ infelicitati, qua peſſimorum hominum conſilijs decepta, in hanc ſe neceſſitatem paſſa eſt induci, & qua ſe, Regnumq. ſuum in extremum coniectura eſt (ſine dubio) excidiũ, niſi Dei miſericordia animum eius mutauerit; quàm Catholicorum conſtantiæ in religione tuenda, quam nullo modo deſerere, niſi cùm ſempiterna animarum ſuarum perditione poſſunt. Et ſi verùm eſt quod hoc loco affirmat Cecilius, adeò auctam eſſe hanc Catholicorum conſtantiam & multiplicatum numerum poſterioribus his annis, vt plures hodie ſacerdotes ad martyrium ſe offerant vno anno pro fide Catholica, quàm annis ſe-

Miſera Elizabethæ & ſuorum ad effundendũ ſanguinem neceſſitas.

ptem anteà; indè colliget Elizabetha, quid hac ſua perſequutione, tanta Anglicani ſanguinis effuſione profecerit.

Cæterorũ principum ac populorum de hoc Edicto iudicium.

199 Vaniſſimum verò eſt quod hic aſſeritur, Edicti huius atrociſſimi ſcopum cæteris quoque populis, regniſq. omnibus vicinis probatum iri. Nemo enim Principum aut virorum prudentium eſt, cuiuſcunque demum religionis, ſectæ, aut profeſſionis fuerit, qui ſummam hanc crudelitatem ac phalariſmum Anglicanum non improbet, non vituperet, & animo penitus non auerſetur. Et ſanè, ſi qui propter ſectarum fortaſſe nonnullam ſimilitudinem, inimico animo in Angliam non ſunt, ij moleſtè ferunt, & non exiguo etiam doloris ſenſu mouentur, quòd paucorum hominum inſcitia, furore, & ſtultitia tantas clades reipub. ſibi amicæ imminere perſpiciant. Cæteri verò qui hoſtes ſunt (quorum multò maximus eſt numerus) lætari palam, & cachinnos etiã ſuſtollere coguntur, quòd iuſtiſſimo Dei

iudicio iniquiſſimos homines ſuis ſe gladijs iugulare, & in manifeſtam ſe perniciem præcipites agere animaduertant.

200 Neque eſt quod minitetur aut iactet Cecilius, hanc reſpondentis admonitionem ſuum & Reginæ curſum minimè retardaturam eſſe; hoc enim nobis etiam ipſis iam diu perſuaſum eſt, neque tamen ideò tacendum iudicauimus. Nam neque Deus olim ideò abſtinuit ab admonendis antiquis principibus, qui malè gubernabant, Ægyptiacis, nimirùm, Edomiticis, Moabiticis, Iſraeliticis, alijſque, quòd minimè eos ſe emendaturos intelligeret, immò Pharaonem ipſum ex vna parte monendum iuſſit, cùm ex alia tamen obdurandum prædixerit. Iudæos etiam Chriſtus præmonendos voluit de imminente illis excidio, & proditorē Iudam de æterna damnatione, quam tamen ſciebat hominem miſerrimum non euitaturum; ſed hac tamen ratione illuſtrior fit Dei, tùm miſericordia, tùm iuſtitia, tùm

Exigua ſpes Cecilij emendationis.

infalli-

infallibilis etiam rerum omnium prouidentia. Et quanquam reprobi hac Dei benignitate non corrigantur, cæteri tamen inſtruuntur, & peſſimorum hominum caſu & interitu ad timorem Dei erudiuntur. Nam hoc quoque ad ſummam Dei miſericordiam, & bonitatem pertinet, vt flagellum antè denunciet, quam infligat, quòd ex omnium prophetarum prædictionibus & pereũtium Principum, populorumq. hiſtorijs liquidiſſimè conſtat. Hæc igitur miſſa faciamus, & ad Cecilij nobilitatem intuendam accedamus.

De Cecilij ficta nobilitate.

201 Duo ſunt præcipua, quæ Cecilius hac ad exploratorem ſuum epiſtola, diligentiſſimè oſtendit, ſeu oſtentat potius de nobilitate. Primum de auo ſuo Dauide Cecilio, quem virum magnum fuiſſe gloriatur. Et primò quidem ex Britannia minori cùm Henrico ſeptimo in Angliam veniſſe, & fœcialis munus apud eum tenuiſſe, deindè præfectum fuiſſe do-

mui

mui & familiæ Comitiſſæ Richmondiæ Regis matris, ac tertiò denique apud eũdem Regem filiumq. in corporis regij cuſtodia, ſcutiferi locum ac dignitatem conſequutum; quæ omnia etſi magna nõ ſunt, quæ poſtulat Cecilius, quia tamen ab eo tàm ambitiosè quæruntur, non facilè conceduntur; obſiſtunt enim huius hominis vanitati, ea quæ ſuprà à me perſcripta ſunt ex multorum hominum grauiſſimorum teſtimonijs, qui adhuc ſuperſunt, iſtius nempè auum Dauidem Cecilium, quem tanto ſibi ornamento fuiſſe exiſtimat, ex ordinarijs tantùm militibus fuiſſe, qui ad Regij corporis præſidium deſignantur, diuerſorium inſuper publicum, & tabernam vinariam, in oppido Stanfordiano tenuiſſe; filium verò eius (qui eiuſdem etiam Dauidis nomine nuncupatus videtur, & iſtius Guilielmi, qui modò regni theſaurariũ agit, pater fuit) regio tantùm veſtiario, loco humili inſeruijſſe, quod non eſt veriſimile accidere Num. 26.

potuiſſe,

potuiſſe, ſi pater in Regij corporis cuſtodia ſcutiferi munus exercuiſſet; nec adeò ſordidum, abiectumq. principium ipſe tenuiſſet Cecilius noſter, vt ex matutina campanæ pulſatione victum quæreret in vniuerſitate Cantabrigienſi (quod anteà dictum eſt) ſi auum tàm honorificum in domo regia habuiſſet. Itaque hæc omnia à Cecilio de auo commemorata, non tantùm ambitionis & vanitatis, ſed fuci etiam & fraudis arguuntur, nec habent apud Anglos prudentiores ſpeciem vllam veri aut ſimilitudinem.

Sup.nu.26.

Cecilij cõmenta de ſua familia.

202 Sed & longè minus ea, quæ ſecundo loco profert homo gloriæ cupidus, de Ceciliorum ortu ab antiqua quadam nobiliq. familia Vuallica, ſeu Cambrobritãnica, quæ Sitſiltiorum eſt, quorum iſte nuper inſignia ſibi arripuit, domuiq. ſuæ attribuit, vt aliquam indè nobilitatem oſtentaret, quòd cunctis planè perridiculum viſum eſt. Primò enim non pauci adhuc in viuis ſunt, qui rectè meminerũt

Guilielmum iſtum Cecilium, annis multis poſt regni Elizabethæ principia, cùm nondum eò potentiæ perueniſſet, vt eſſe poſſet in Anglia qui vellet, dicere ſolitũ, familiam ſuam & Ceciliorum à nominatiſſima illa Ceciliorum Romanorum gente deſcendiſſe, qui eo vſquè in republica Romana honoribus diuitijſq. aucti fuerunt, vt Næuius Poeta fato eos Conſules fieri dixerit, & Cecilius Claudius ſcribitur à Plinio teſtamento ſuo edixiſſe, quòd quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinqueret ſeruorum quattuor millia, iuga boum tria millia, reliqui pecoris ducenta quinquaginta ſeptem millia, & numeratæ pecuniæ ingentem vim.

203 Huic cùm noſter quoque Cecilius eo tempore (opibus ſaltem) par eſſe cupiuiſſet, neque aliam adhuc excogitandæ nobilitatis rationem faciliorem inueniſſet, videbatur ſibi perſuadere poſſe, nonnullam horum Ceciliorum particulam progenieſq. per exercitus Romanos in

Britannijs diſſeminatam, ſuæ quoque familiæ dediſſe originem. Poſteà verò cùm domeſticæ magis nobilitatis quàm Romanæ eum ſplendor delectaret, nunciatumq. fuiſſet, familiam quandam perantiquam Sitſiltiorum in Vuallia penè interijſſe, hic ſimilitudine & vicinitate nominis inuitatus, & poſſeſſionis deſertæ cupiditate illectus, in ipſam inuaſit, inſigne illud ſex leonum, quod Sitſiltiorum fuit, armis ſuis intulit, cùm duos tantum ipſe obtinuiſſet anteà leones, quos authoritate, vel precio à fœcialibus regni pro inſignibus extorſerat, ædibuſq. ſuis vbique ferè impreſſerat.

Cecilianæ vanitatis argumenta.

204 Duo igitur argumenta hic ſe offerunt, quibus hominis iſtius leuiſſimi vanitas coarguitur, & commentum de Cecilij familia à gente Sitſiltiorum deducta, confutatur; primum, quòd Cecilius noſter olim à Cecilijs Romanis deſcendiſſe ſe gloriabatur; alterum, quòd arma, & inſignia recenter mutauerit, & duos leo-

nes

nes in ſex, potentiæ ſuæ prærogatiua, repentè adauxerit; quibus tertium demum adiungi poterit, diſcrimen videlicet horum nominum idiomate Anglicano, Cecil & Sitſilt, quorum orthographiam ex ipſa hac Cecilij epiſtola conſtat eſſe diſſimillimam. Vnde quâ veri ſimilitudine alterum ex altero deductum exiſtimetur, non video.

205 Quod & ſuo etiam iudicio probaſſe videtur Cecilius aliquandò. Nam cùm Maria Regina ſceptrum tenente, Cecilius Gulielmum Petrum, virum Catholicum & regni Secretarium adeò decepiſſet, (quod ſupra ſectione prima oſtēſum eſt) vt in eum Secretarij officium transferre Petrus ipſe voluiſſet, inter multos, quibus hic Guilielmi Petri conatus non probabatur, fuit vel imprimis Catharina Comitiſſa Huntingtoniæ, fæmina clariſſima, & Cardinalis Poli neptis, Comitis Huntingtoniæ (qui hodie viuit & toto cælo ab illius religione, fide, ac pietate aberrat)

Prophetia de Cecilij nequitia.

Sup. nu. 28.

mater, hæc dixerat, antiquitus ſe accepiſſe, prædictum eſſe, virum quendam, cuius nomen duplicem litteram C.C. cõplecteretur, patriæ ſuæ allaturum exitiũ, quod cùm in Cecilij appellatione reperiretur; timebat pia fæmina id mali quod poſteà ſucceſſit, & ſuaſor fuit, ne Regina vllo modo hominem tam dubiæ fidei in reipub. adminiſtrandæ partem admitteret; neque Cecilius eo tempore hoc à ſe fatum repulit (id quod facillimè quidem potuiſſet & plurimũ ſanè illius intererat) negandò Cecilij nomen, & Sitſiltij aſſerendo, quia nondum fortaſſe hoc ei commentum venerat in mentem, neque natæ erant hæ poſteriores Cecilij cogitationes de regno & principatũ ambiendo, quas modò præ ſe fert; hæ enim poſteà ex potentia diuitiarum, & ſenilis ætatis cupiditate, ex Reginæ etiam facilitate, qua omnia ei permittit, & ex nobilitatis Anglicanæ contemptu & debilitate, partiumq. ſuarum hæreticarum fiducia ortæ viden-

tur; & profectò quod hodiè tàm diligenter veterator iſte nobilitatem ſuam oſtentet, ſeq. ortũ ex clariſſimis familijs, immò principibus Vualliæ profiteatur, idq. in hac tanta de regni ſucceſſione digladiatione, neque myſterio ſine dubio, neque malitia vacat. Atque hæc de ementita Cecilij nobilitate, cætera modò perſequamur, & ad intermiſſam nonnihil reſponſionis noſtræ ſeriem reuertatur oratio.

206 Cùm igitur hæc omnia ita ſint, quid nam Sicilio huic venire potuit in mentem, vt Illuſtriſſimo Cardinali Alano, generis exprobraret obſcuritatẽ? (de Perſonio enim nihil dicam hoc loco, tùm breuitatis cauſa, ne in re non neceſſaria prolixus fiam; tùm etiam quòd in vitam religioſam & à mundi infulis remotam cùm ſe abdiderit, parum iſta cogitare aut curare exiſtimem) de Cardinali verò, qui in clariſſima hominum luce verſatur, & non tantùm patriæ & nationis ſuæ, ſed

Eccleſiæ quoque Catholicæ ſingulare ornamentum eſt, tacendum non iudicaui, calumniante Cecilio, ſed obſequendum potius Sapientis præcepto, vt ſtulto reſpondeam iuxta ſtultitiam ſuam ne ſapiens ſibi videatur.

Prou. 26.

De Cardinalis Alani familia & nobilitate.

207 Quanquam enim vt antè dixi, ſi nobilitas ſanguinis non adeſſet, non indè fieret virtuti præiudicium, quò minus ad honores & dignitates pateret aditus, cùm virtus mater ſit, & nutrix & conſeruatrix omnis veræ nobilitatis, multoſq. Imperatores digniſſimos, ac ſummos etiam ſanctiſſimoſq. Pontifices ex paruis initijs ad ſuprema rerum gubernacula, virtute exaltante, ſubuectos videamus; tamen cùm vtrumque Cardinali huic noſtro adeſſe cernamus, tàm generis inquam claritatem, quàm virtutis præſtantiam; quare Cecilio, qui neutram poſſidet, ſed fraudibus tantùm & dolis, aliorum ſupplantatione, & patriæ ruina, opes acquiſiuit, cedendum erit, dùm alteram ſci-

licet

licet nobilitatem Cardinali ex ſola inuidia auferre moliatur? Nonne omnibus nota eſt, in clariſſima Angliæ Lancaſtrẽſi prouincia, Alanorum familia? Nonne Ioannes Alanus eius pater, Georgiuſq. frater & ſtirpis generoſitate, & fortunarum copia, & hoſpitalitate atque eleemoſinarum largitione, per eam regionem clariſſimi vndique exſtiterant, pauciſq. hinc annis noſtra omnium memoria honorificè, ſanctèq. vita functi defunctiq. ſunt? Nonne Georgij viduam Elizabetham, fæminam nobilem, locupletem, piam, prudentem, indignis modis exagitarunt nuper hæretici, & bonis omnibus euerſam, cùm tribus filiabus virginibus in exilium compulerunt, in quo nunc ſanctiſſimè degunt, & ex opulentiſſimis egeniſſimæ factæ pro Chriſti amore lætiſſimè viuunt? Nonne eſt Alanorum cognatio, vel ſanguine, vel affinitate cùm Liſtoris Tounleis Sherhornis, Conierſis, Vuoſtbeis, Hacuuorthis, Haddocis, Hesketis,

aliiſq. tàm Lancaſtrenſis, quàm Eboracenſis ditionis, honoratiſſimis equeſtris & militaris ordinis viris coniuncta? Nõne iſta certa, nota, & indubitata ſunt? Quid igitur ſibi voluit Cecilij dementia, vt in tanta rei luce, de obſcuritate natalium, neſcio quid inſuſurret?

208 Perinuitum ſanè me cogit hæc inimici procacitas, vt ea nonnunquam proferam, quæ non putaueram, & ita eſt planè in eo quod modò ſum dicturus. quod accipi tamen ab omnibus eo ſenſu volo, vt nihil indè dignitati regiæ detrahatur, aut præiudicetur. Quia tamen res ipſa vera eſt, & hæc calumniandi licentia Reginæ nomine prodijt, dicendum eſt, non tantùm Cecilios iſtos, & Raulæos, & Baconos, aliaſq. quiſquilias, terræq. filios, qui apud eam tanti ſunt habiti, & habentur, vt omnia gubernent, Cardinalem Alanum claritate generis antecellere; ſed ipſa quoque Elizabetha (ſepoſita tantùm præſenti dignitate regia) ſi vel maternum

genus conſideres, vel paternum ad originem aliquantò altiorem reuoces, natalium nitore non eſſe multò inferiorem.

209 Atque de materno quidem genere, quod Bolenorum eſt, ſiue antiquitatem ſpectes, ſiue ſplendorē, non eſt perdifficile probare, ſaltē antequā Henricus octauus Annam Bolenā in vxorem duxiſſet, Alanorum gentem parem eſſe; ſi verò fidem, virtutem, & honeſtatem vitæ conſideraueris, multò etiam dignior & ſuperior inuenietur. Ad paternū genus quod attinet, dicam ea tantùm, quæ Annales Anglici per ipſam etiam Elizabetham approbati, narrant, quæ ſunt huiuſmodi. Bolenorū genus.

210 Regni ſceptrum tenente Henrico ſexto, anno ferè abhinc cēteſimo & quinquageſimo, profugerat ex Vuallia, delictorum quorundam cauſa, Odoenus quidam Tydderus, homo conditionis valde humilis, & vt ex hiſtorijs patet, vita flagitioſus: Dicitur enim inter cætera, quòd cùm homicidio primùm facto, Baroni Tydderorum origo.

deindè Poyſio in Vualliæ confinibus aliquandò inſeruijſſet, filiam quoque eius inſciente Domino grauidam effeciſſe, eiuſq. rei pœnam timens, derelicta Vuallia Londinum ſe cōtuliſſe, vbi per ea tempora viuebat Regina Catharina, Caroli ſexti Regis Galliæ filia, Henrici ſexti mater, quæ Patri eius Henrico quinto, non longè ante nupſerat, & vidua ab eo ætate adhuc florente relicta fuerat.

Odoenus Tydderus.

211 Hæc Odoeni amore capta, conſuetudinem clādeſtinam multorum annorū cùm illo habuit, & quatuor tandèm ex eo liberos ſuſcepit; quod cùm viuēte Regina incognitum penitus permanſiſſet, poſt mortem eius, quæ anno Domini milleſimo quadringētеſimo trigeſimo ſexto cō-tigit, ex ipſius autographo veritatem rei eius filio Regi innotuiſſe affirmant. Qui quidem etſi pro matris reuerentiā liberos in ſuum patrociniū ſuſceperit, Odoenum tamen de tanto flagitio puniendum iudicauit. Itaque carceri traditus, bien-

nio ferè ita permanſit, quouſque tandèm vulneratis turpiter carceris cuſtodibus (vt Ioannis Stoi annalium ſcriptoris verbis vtar) indè aufugit; ſed poſteà iterum comprehenſus, veniam à Rege (vt videtur) accepit. Nam ſcriptum reperio, viginti & duobus poſt hoc annis, capite illum fuiſſe plexum, ab Edouardo Duce Eboracenſi, qui Henrico ſexto Regnum vitamq. eripuit. Et addit Ioannis Stous ex Lelando in iſtius anni chronica, Odoenum iſtum vocari debuiſſe Anglicè Mery Dicke, quod Latinè perindè ſonat, ac Richardus ridiculus, aut iocoſus, ob facetias fortaſſe, aut ſales hominis ridiculos.

212 Ex hoc igitur tàm humili principio duxit Elizabetha originem paternam; ab iſto enim Odoeno abauo ſuo, & Tydderi nomen & generationem habet. Maximus enim natu quatuor horum liberorum, quos Odoenus ex Regina Catharina illegitimè genuerat (quan- **Odoeni Tydderi progenies.**

quàm ad Elizabethæ adulationem, nonnulli clandeſtinas poſteà extitiſſe nuptias affirmarunt) Edmundus dicebatur, qui licèt ſpurius, ob honorem tamen Matris factus eſt ab Henrico ſexto Comes Richmondiæ. Ille verò ducta in matrimonium Margarita Ducis Somerſetani filia, quæ Ioannis etiam Gandauenſis Lancaſtriæ Ducis proneptis erat, genuit ex ea Henricum Richmondiæ Comitem, qui ex Lancaſtrenſi familia per matrem deſcendens, fortuna poſteà belli, Angliæ regno potitus, ſeptimus eius nominis Rex eſt appellatus, & pater fuit Henrici octaui, & Elizabethæ auus, ſi tamen illa Henrici octaui filia fuerit, quod Sanderi hiſtoria ex Annæ Bolenæ matris incontinentia dubium planè & incertum reddit, & multitudo eorum, qui cum ea poſteà ob adulterium & inceſtum ſupplició affecti fuerunt, vehementer ſuſpicionem confirmat. Adeò vt inconſideranter planè hoc ipſum, de obſcuritate generis,

in Reginæ Edictum Cecilius coniecerit.

213 Sequitur, vt de adoleſcentibus dicamus, quos Edictum conqueritur, Alanum ac Perſonium, iuſſu & ſumptibus Hiſpaniarum Regis, colligere, vt in Seminarijs ad proditiones quaſdam ſcholaſticas erudiantur. In quo, quod de colligendo accuſentur viri hi, tolerabilius quidem eſt, quam ſi de diſſipando, aut diſpergendo crimen imponeretur. Dicit enim Dominus per Prophetam, Væ diſperſoribus. Et Salomonis veriſſima prophetia eſt, homines peſtilentes diſſipant ciuitatem. Si vos ergo diſpergitis, Cecili, ſi vos diſſipatis; quidni aliqui etiam cùm Domino recolligãt? Sed dicis, adoleſcentes iſti ſunt perditi & diſſoluti, qui partim ob crimina à ſe commiſſa, partim ob victus inopiam facti ſunt fugitiui rebelles, ac proditores patriæ. Hoc totum calumnia eſt, & iniquiſſimum mendaciũ, iam enim ſuperius oſtendi, qua ratione, quo animo, quo propoſito ac fine ex An-

De Alumnis Seminariorum.

Ezech. 9.

Prou. 29.

Sup. nu. 73

glia

glia recedant,quantas opes, quales hære ditates, quanta patrimonia multi eorum ſpontè deſerant,vt animarum ſuarum ſaluti conſulant. Nonnulli etiam hæreſi adhuc imbuti,in Galliam non rarò & Belgium veniunt, vt videant tantùm & ſpeculentur, & curiosè quærant, qui numquam ferè ad vos niſi Catholici redeunt, quos tamen ea cauſa vos deſerere,quam Edictum obijcit,dici non poteſt.

214 Deniquè quòd inopiæ cauſa in has partes non veniant hi adoleſcentes, illud argumento eſſe poteſt, quòd apud vos honores,ac dignitates aſſequantur, ſi veſtri eſſe velint,apud nos non item; quam tamen ſpem non ſolum deſerunt,ſed rem etiam multi ampliſſimam, vt antè dixi, quam vos per ſpōtaneum eorum diſceſſum poſſidetis. Illud etiam luculentiſſimè rem demonſtrat, quòd non ex fœce hominum,vt veſtri verbi miniſtri, ſed nobilibus plerumque orti familijs, & copioſis nati parentibus huc aduenīāt;& auſim

Nō ob inopiam Angliam deſerunt.

ſanè dicere, maiorem eſſe longè nobilitatis florem, in his tribus tantùm Seminarijs Anglicanis, Rhemenſi, Romano, & Valleſoletano, quàm in vniuerſo veſtro clero domeſtico, reperiatur.

Animaduertendũ.

215 Quòd autem non ob delicta à vobis deficiant, clarius multo oſtenditur ex eo, quòd tàm amanter, & ſolicitè reuocare nitimini diſcedentes, & beneficijs etiam maximis vos ornaturos, ſi reuertantur, promittitis. Hoc etiam vel maximè rem totam conuincit, quòd numquam hactenus, quemquam eorum, quos apprehẽdiſtis, quos exagitaſtis, quos morti tradidiſtis ex his Seminarijs, nullum, inquam, planè ob morũ aliquod delictum puniuiſtis, ſed tãtùm ob doctrinæ vitium, nõ quidẽ quod rei ineſt, ſed quod vos ipſi facitis, vel potius fingitis, condemnaſtis. Atque hoc etiam profectò (ſi quid aliud) inſtitutionis Catholicæ, quam vos tantopere calumniamini, ſingulare teſtimonium eſt, quod tot annorum ſpacio,

Non ob delicta.

dum tot inter vos adoleſcentes noſtri ex Seminarijs his egreſſi, diſſimulato habitu verſati fuerint, quos omni vos opprobrio conſpurcatos cuperetis; nemo tamen eorum (ne vnus quidem) hactenus, ſceleris alicuius aut vitæ labis apud veſtros iudices eſt accuſatus, præterquam læſæ cuiuſdam maieſtatis, & proditionum imaginariarum, quæ non tàm ipſorum facta, quàm figmenta ſunt veſtra. Cùm intereà miniſtri veſtri Euangelici, vbique ferè de flagitijs conuicti, ad omnia promiſcue tribunalia veſtra, turpiſſimè condemnati, & patibulis quoque ſæpiſſimè adiudicati cernantur. Quod argumento certè vobis eſſe poſſet, ſi rationem ſequeremini, inſtitutionem noſtram, efficaciorem multò eſſe, quàm veſtram, ad omnem virtutem & vitæ puritatem; cùm etiam bonos efficiat, & virtute præditos ad vos remittat, quos perditos, ac diſſolutos vos à vobis receſſiſſe (licèt falſo) affirmatis.

Res maximè conſideranda.

Neque

216 Neque ſanè minus ineſſe virium doctrinæ noſtræ, ad veritatis euidentiā conuincendam experimini, quàm inſtitutioni, efficaciæ ad probitatem vitæ morũq. præſtantiam; cùm vix vnquam veſtrum vllus, licèt peruicaciſſimus, & animo obfirmatiſſimo ſectis veſtris addictus, ad partes noſtras vel diſcendi, vel ſpeculādi, vel tentandi etiam cauſa acceſſerit, qui penitus deindè, nobis auditis, à placitis veſtris non receſſerit, noſtriſq. ſe addixerit. Et profectò, vt ſincerè ingenuèq. vobiſcum agam, non recolo ex omni iſtorum temporum veſtrorum memoria, plures, opinor, quàm duos aut tres adoleſcētes, qui à vobis digreſſi, redire voluerint. Atque hi profectò non ideo à veſtris partibus permanſerunt, quòd ipſorũ iudicijs per nos pleniſſimè ſatisfactum nō fuerit; ſed quòd vel periculorum temporalium metu, vel commodorum ſpe victi, ſeruire maluerunt vobis, quàm apud nos ſaluari.

Vis doctrinæ & diſciplinæ Catholicæ.

Multorum ab hære'i conuerſio.

217 Ex altera verò parte, infinitus propè eſt illorũ numerus, qui in hæreſi apud vos nati, enutriti, educati, & diligentiſſimè inſtituti, perſpecta deindè veritate noſtra, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redierunt, & tanta animi deteſtatione errores veſtros ſuoſq. auerſati ſunt, vt pro fide poſteà Catholica apud vos mori, & omne genus perſequutionis pati non recuſarent. Quorum vos nihil profectò ſimile de noſtris, ne vnum quidem exemplum proferre poteſtis. Et eſt ſanè mirabile quod ſum dicturus, & à viris multis prudentibus non ſine admiratione obſeruatum, quòd cùm penes vos qui regnatis, & dominamini, dignitatum omnium, honorum, opum, ſplendoris, authoritatis, voluptatis, vitæ, cæterarumq. illecebrarum poteſtas ſit, addo etiam, licentia, qua maximè ſolent abduci adoleſcẽtes: à nobis autem non niſi paupertatis horror, exilij incõmoda, diſciplinæ etiam ſeueritas, quæ humanis affectibus ingra-

tiſſima ſunt, ſtare cernãtur: tanta tamen multitudine, tanta animorum contentione iuuenes veſtri ad nos confluant, vt plures vno menſe ſua ſponte vos deſerant, ſplendore virtutis adducti, veritatiſq. vi deuicti, quàm vos è noſtris multorum annorum ſpacio, adhibitis omnibus ingenij, fraudiſq. machinis, extorquere poſſitis.

218 Hoc enim certè in confeſſo apud omnes planè eſt, neque poteſt negari, ne vnum quidem his annis plurimis repertum eſſe, qui religionis Catholicæ inſtituto & doctrina verè ritèq. perceptis, in ſententiam veſtram animo iudicioq. tranſierit. Coegiſtis, fateor, aliquando tormentis, cõminationibus territaſtis, blanditijs etiam nonnumquam fortaſſis flexiſtis infirmum aliquem & imbecillum domeſticum, vt amaro animo, ad Eccleſias veſtras ac ſynagogas inuitus ſe conferret, vt precibus veſtris ſchiſmaticis hæreticiſque, reclamante conſcientia, intereſſet, Difficultas peruertendi Catholicos.

vt conciones veſtras ſeditioſas ac virulentas coacte audiret, nonnullos etiam nolentes, ac repugnantes, baiulorum viribus, eò abripuiſtis, & tunc, vt Antonius olim Epiſcopus Arrianus in Africa gloriabatur, cùm ipſe Epiſcopum Catholicum per vim & vincula rebaptizaſſet, exultatis tamquàm de præda capta, & cùm tyranno illo dicitis. Ecce iam frater noſter es, quid vltra facere poteris, niſi vt in cæteris quoque voluntati conſentias Regis? ſed digniſſimam audiamus defenſionem. Illa eſt (inquit Epiſcopus Catholicus) ò impie Antoni mortis iuſtæ damnatio, vbi voluntatis tenetur aſſenſio. Ego verò fidei meæ tenax, vocibus etiam confitens crebris, quod credo, & credidi, clamando defendi, ſed & poſteà quàm catenis me vinxiſti, & oris ianuam oppilaſti, in prætorio cordis mei, violētiæ tuæ, ſcribentibus angelis, geſta confeci, & lectitanda Imperatori meo ad cælos tranſmiſi.

Vict. Vticen. de perſe. Vand.

Pulcherrimũ reſponſum.

Eadem

219 Eadem planè vobis, eadem Odoeno veſtro Hoptono, Caſtri Londinenſis nequiſſimo præfecto, reſponderunt ſuperioribus annis viri digniſſimi, martyreſq. clariſſimi, quos poſteà in ligno ſuſpendentes interemiſtis, Campianus, Sheruinus, Cotamus, Ionſonius, alijq. multi Sacerdotes Dei, quos Odoenus, cùm nulla perſuaſione inducere potuiſſet, vt Eccleſias veſtras ſpontè adirent, abreptos tandèm in famulorum humeros, ad conciones pertraxit, cùm illi interim conſtantiſſimè reclamarent, id vim eſſe non voluntatem, vnde & concionatori quoque veſtro in faciem obſtiterunt. Odoenus tamen, vt erat impudentiſſimus, gloriabatur publicè omnes ſe in ſententiam ſuam adduxiſſe, atque hoc eſt veſtræ de adoleſcentibus noſtris victoriæ genus, quo ſi gloriandum eſt, habetis quidem gloriam veſtram, ſed neque apud Deum, neque apud homines niſi mente captos.

Odoeni Hoptoni iniquitas in Martyres.

220 Contrà verò noſtræ victoriæ cla-

riſſima

riſſima ſunt trophæa; in manifeſto enim eſt cauſa noſtra poſita, nullam vim adhibemus, nullas delitias aut illecebras poſſidemus, fucum nullum facimus, veritatem nudam oſtentamus. Si quis ad nos venit, is ſpontè & voluntate venit, deſiderio ſuæ ſalutis venit, Deo vocante, mouente, & impellente venit. Et ſi hos vel Alanus, vel Perſonius, vel alius quiſpiam pietate ductus colligit, non tàm Pontificis aut Regis Hiſpaniarum iuſſu, licèt ſanctiſſimo, hoc faciunt, quàm cælorum Imperatoris, Regiſq. Regum, ac Paſtoris vniuerſalis mandato, auſpicijs, ac ſumptibus faciunt, gregem nimirùm à vobis diſperſum, oues diſſipatas, vineam depaſtam, hæreditatem Domini vexatam, & deuaſtatam recolligunt.

Seditiones ſcholaſticę quæ.

221 Sed quid eſt illud quod in Edicto ſequitur de ſcholaſticis quibuſdam ſeditionibus, ad quas adoleſcentes in ſeminarijs erudiuntur? quid ſibi volunt, ſeditiones ſcholaſticæ, vel pũcta quædam ſcho-

laſtica de ſeditione, vt Anglicè habetur? Certè, opinor, illa capita ſunt doctrinæ Catholicæ, quæ omnis Theologorũ ſchola tot retro ſæculis iam docuit, Chriſtianorum omnium vnanimi conſenſu: de Eccleſia, nimirum, de Sacramentis, de iuſtificatione, de ſanctorum inuocatione, de operum meritis, & quod capitalius adhuc apud hæreticos ſonat, de Romani Pontificis poteſtate in caſtigandis malis principibus, de hæreticorum punitione, de vi excommunicationis pontificiæ, de confeſſionis ac reconciliationis neceſſitate, & modo, de principatu Eccleſiaſtico, alijſq. ſimilibus, quorum quæ ad priuatos tantum pertinent, ſeditioſa hodie in Anglia vocantur, quòd ab ipſorũ doctrina, id eſt Caluiniana diſſentiant; quæ verò ad Principem quoque & rempub. pertingunt, proditoria inſuper & læſæ maieſtatis crimina iudicantur, quamquam aliæ omnes Chriſtiani orbis reſpub. reuerentia ſumma ea omnia complectantur,

& Romæ, id eſt in ipſa ſede Pontificis, quotidie in ſcholis publicis doceatur, Pōtificem ob hæreſim deponi poſſe & deberi, neque tamen quiſquam inde hanc doctrinam proditoriam appellauerit.

De inſtitutione & diſciplina Seminariorũ.

222 Anglornm igitur à communi reliqui orbis doctrina ſeceſſio, capita hæc fecit ſeditioſa & proditoria, non res ipſa, aut adoleſcentium ipſorum peccatum aliquod, aut Seminariorum vitioſa inſtitutio. Quæ profectò inſtitutio talis eſt, ſiue mores ſpectes, ſiue eruditionem, vt nihil ea præſtantius, nihil perfectius cogitari poſſit, aut homine Chriſtiano dignius. Neque Anglia, opinor, cùm eſſet florentiſſima, quidquam vidit in hoc genere excellentius. De qua, etſi diuerſis Catholicorum Anglorum libris, ad hæreticorum calumnias copioſè ſatis reſponſum ſit, præſertim verò doctiſſima illa & modeſtiſſima Illuſtriſſimi Cardinalis Alani Apologia prima à me anteà nominata, quæ diuerſis capitibus ex inſtituto

rem

rem hanc diſcutit: non abs re tamen videtur futurum, ſi iterum hoc loco nonnulla eiuſdem argumenti capita breuiſſimè attingantur, vt rei ipſi quantum inſit præſtantiæ; criminationi verò Reginæ, quantum admiſceatur fraudis, odij, ac calumniæ, intelligatur. Dicam autem ea, quæ omnibus ſunt notiſſima, & perſpectiſſima; vt ſi vlla in re mentiar, vniuerſorum hominum etiam noſtrorum iudicijs, oculis, & ore coarguar.

223 Primum itaque quòd ad mores attinet alumnorum, qui his in Seminarijs inſtituuntur, quos Regina quidem diſſolutos, ideſt, non tantum remiſſos & ignauos, ſed effæminatos etiam & perditos vocat; videamus, ſi placet, ingreſſum, videamus progreſſum, videamus exitum totius negotij, vt ita perſpicacius de re tota iudicium fieri poſſit. Mores & vita Alumnorum in Seminarijs.

224 Et ingreſſus profectò eiuſmodi eſt ad hæc Seminaria, vt quamquàm Regina adoleſcentes hos conquiſitos & Re- Aditus ad Seminaria.

gis ſumptibus etiam pertractos & cõgregatos dicat;non tamen ita ſit, ſed magno potius delectu ex ijs,quos Dominus exercituum Iſraelis diſperſiones congregans, copioſa manu ad nos tranſmittit,digniores tantum,examine præuio admittãtur. Nec magna opus eſt conquiſitione vt inueniantur,neque neceſſe habemus vt mittamus ad plateas, & ſepes, & exitus viarum & compellamus intrare,multòq; minus vt bonos & malos, pauperes & debiles, cæcos & claudos intromittamus (quod inopia preſſi hæretici faciunt) vt impleatur domus; tot enim ſunt,qui domeſticæ inanitatis & confuſionis pertæſi, ſeſe nobis quotidie offerunt ex omni ſelectiori iuuentute Anglicana,vt ſi temporalium ſubſidiorum copia confluentium multitudini par eſſet(qua tamen in re benigniſſimè Dominus nobiſcum quoque agit) non dubium,quin vniuerſitates Anglicanæ breuiſſimo tempore,vel deſertæ, vel potioribus ſaltem ingenijs exhauſtæ

Pſal.146.

Luc.14.

Matth. 22.

penitus

penitus cernerentur.

225 Sed vt ceptam narrationem proſequamur; primum quidem omnium quod ad nos venientibus, veſtramque, Cecili, Babylonem deſerentibus, proponitur, illud ipſum eſt, quod Ioannes Baptiſta, & Petrus Apoſtolus exigebant ab ijs, qui ſalutis conſilium ab ipſis petebāt, nimirum vt pænitentiam agerent de anteacta vita, confitentes peccata ſua, & Deo ſe reconciliantes. Idipſum etiam eſt, quod Chriſtus Dominus innuit, cùm leproſo dixit, Vade & oſtende te Sacerdoti: hoc enim apud nos in vſu eſt, ſiue quis ab hæreticorum ſynagoga ad Eccleſiam Catholicā, ſiue à vitiorum turpitudine ad vitæ honeſtatem, intrà eandē Eccleſiam conuertatur, initium nimirum vt ſumat à ſordium depoſitione, vitæq. prioris diſplicētia, & luſtratione; quod per ſanctiſſimum ſaluberrimumq. Sacerdotis miniſterium, Domino expreſsè ordinante, perficitur. Confeſsio generalis. *Matth. 3. Marc. 1. Act. 2.* *Matth. 8.* *Luc. 5.* *Ioan. 20.*

226 Hic igitur ingreſſus primus ad Se-

Eſa. 28. *Rom.* 6. *Coloſſ.* 3. *Coloſſ.* 2.

minaria, vt quis in ſe redeat, vt recogitet cùm Propheta annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, vt hominem veterem exuat cùm actibus ſuis, vt conſepeliatur Chriſto, quò iterum cùm eo reſurgat ad gloriam, & reſurgẽs quæ ſurſum ſunt ſapiat, quæ ſurſum ſunt quærat; & non quæ ſuper terram. Denique vt generali totius vitæ confeſſione ritè peracta, noua deſideria, noua propoſita, nouos ſpiritus, de morum emendatione, & virtutum incremento concipiat. Si quæ malè fecit, corrigat, ſi quem læſit, aut offendit, paratus ſit ad eam ſatisfactionem quam præſtare poſſit, cùm firmo propoſito de fugiendis in poſterum peccatis, quantum per Dei gratiam ſuamq. diligentiam efficere potuerit.

Vitæ progreſſus.

227 Huic principio reſpondet deinceps vitæ reliquæ curſùs & progreſſio. Amotis enim virtutis impedimentis, ſublatiſq. occaſionibus, quæ adoleſcentibus ad vitia præbere ſolent incitamenta, placidiſſimis

animis in via ſalutis ſuæ progrediuntur, tanta quidem diſciplinæ Chriſtianæ ſeueritate, vt primos illos Eccleſiæ naſcentis & florentis feruores referre planè videantur. Nihil enim cùm habeant, omnia tamen poſſident, hocq. tàm nulla ſolicitudine ſua, quàm Chriſtus dixit de volucribus cæli, & lilijs campi. Genus veſtitus omnibus eſt vnum, hicq. non ad vanitatem aut ſuperbiam, ſed ad neceſſitatem, grauitatem, & ornatum modeſtum compoſitus. Victus moderatus, ſed naturæ ſufficiens. Egreſſus domo rarior, iſque non niſi certis de cauſis, & ad loca definita, ad ſcholas, nimirùm, ob lectiones, ad Eccleſias, ob conciones, ad campum, ob deambulationes. Cæterum his negocia pænè nulla. Clauſura Collegij diligentiſſima, nec quiſquam egreditur, niſi ianitore conſcio, & ſignato nomine, nec vnquam ſolus, ſed vt minimum bini, vt, & conuerſationis cuique ſit ſocius, & morum teſtis.

2. Cor. 6. Matth. 8. Luc. 12.

Veſtitus.

Victus.

Egreſſus.

Temporis Occonomia.

229 Temporis tanquam rei precioſiſſimæ ſingularis eſt apud hos parſimonia, & vſura valdè limitata. Ex viginti quattuor enim, quibus dies naturalis conſtat, horis, ſeptem tantùm cum dimidia, vel ad ſummum, octo, ad ſomni noctiſq. neceſſitates attribuunt, tres verò ad diurnam corporis, tùm refectionem, tùm etiã quietem, reliquas decem & tres, in oratione, meditatione, & litterarum ſtudijs tàm accuratè diſtributas ponunt, vt ne minimam quidem tanti theſauri iacturam patiantur. Vniuerſa autem negotia ordiuntur quotidie à meditationibus diuinis, ſiue oratione, quæ dicitur, mentali, qua, definito tempore ſimul omnes, deuoto corporis habitu, magnaq. animorũ ſpirituſq. intentione, excluſa vocis loquela, cordis tantùm cõtemplatione, Deum adeunt, & ſalutis ſuæ myſteria meditãtur, negotiaq. tractant, gemitibus, ſuſpirijſq. Cœlũ pulſant, deſiderijs viuis æternæ vitæ, diuiniq. amoris flammis incaleſcunt.

Quies.

Refectio.

Meditationes.

Hoc

229 Hoc cæleſte exercitium excipit iugis ſacrificij Chriſtiani cultus, quem Miſſam appellamus, cui omnes quotidie reuerenter aſtant, quam deinceps ſequuntur litterarum ſtudia, ea tamen lege, vt à quiete ſemper tàm meridiana, quàm veſpertina renouentur nonnulla orationis & meditationis exercitia, modò Litanijs, modò alijs Deum inuocandi formulis comprehenſa, quibus & maieſtati ſuæ ſeruiatur, & ignitus diuinæ deuotionis affectus ſolicitè conſeruetur. Sacerdotibus verò quàm cæteris ampliora ſemper pēſa orationis incumbunt. Miſſa. Studia. Oratio.

230 Sed & ipſius refectionis corporalis tēpora, ſpiritali etiā alimento non carent. Dū enim comeditur, præleguntur ſemper libri aliqui ſelecti, quibus cibi cōdiuntur, aut ex alumnis, qui Theologi ſunt, aliquis propoſito themate, exercendi ſe cauſa, idiomate Latino vel Anglicano piè concionatur. Quietis etiam definita ſpacia quæ ſequuntur, etſi libera quidem ſint ad Cibus. Conciones

hone-

honeſtam omnem & ſuauem animorum relaxationem;plerumque tamen non niſi certa ſermonis capita in colloquia admittũtur,quibus aliquid in pietate vel litteris proficiatur. Itaque de hiſtoria plerũque Eccleſiaſtica, de zelo,feruore,& conſtantia primorum Chriſtianorum, de initijs & progreſſu religionis Chriſtianæ, ſæpiſſimè item de cauſis & occaſionibus diſſenſionum in Eccleſia,de impietate & furore hæreticorum, de occaſu & ſtoliditate hæreſum omnium quæ ab initio extiterunt,& earum maximè,quæ noſtro tempore copioſiſſimè pullularunt, de ſalute deindè patriæ procuranda, & extrema Reginæ infelicitate, quæ cùm beatiſſimè regnare potuiſſet, maiorum more & gloria, perditiſſimorum hominũ fraudibus, in eas clades, & calamitates inextricabiles ſe regnumq. ſuum coniecit, vt nonniſi vtriuſque exitio, exire inde poſſe videatur.

Colloquia.

231 Hæc, & his ſimilia, Cecili, adole-

ſcentibus

ſcentibus noſtris in ſermone verſantur quotidiano, idq. tanto ſenſu animorum, vt pro Dei gloria patriæq. incolumitate vnuſquiſque ſe libenter ad victimam offerat, tanta verò inter ſe vnione & ſuauitate, vt numquam quis alium, aut verbi alicuius aſperitate, aut vultu ſeueriori offendat. Id tamen certum eſt omnibus & perpetuum, vt de nocte, antequam ſomno ſe dedant, ne quid fortè per imprudentiam aut humanam infirmitatem effluxiſſet, quod diuinis oculis minus gratum videatur, omnes vnà ſe recolligant, ad vniuerſas illius diei actiones ſuas recogitandas, examinandaſque, vt ſi quid vel cogitatione, vel opere, aut verbo, peccatum eſſe aut offenſum intelligant, veniam ſuppliciter à communi Domino poſtulent, & propoſitum ineant tùm emendationis in futurum, tùm etiam confeſſionis, ſi res id exigat, apud Patrem ſpirituale͂, quem hac maximè de cauſa præter alios ſuperiores apud ſe quoque habent, vt ad ani-

Examen conſcie͂tiæ quotidianum

morum medicinam, & prouentum diligenter inuigilet. Cui octauo quoque die (aut etiam frequentius ſi quis voluerit) conſcientiæ ſuæ ſtatum vnuſquiſque aperit, ac peccata confitetur, eiuſq. non tantùm authoritate ſalutari, quam à Chriſto Domino accepit peccata dimittendi, recreantur ſubleuanturque, ſed conſilijs etiam & monitis, prudentia & hortationibus, quas ad omne genus virtutis frequentes apud eos habet, facillimè ſuauiſſimèq. in omni vita diriguntur.

Matth.18. Ioan.20.

De litterarum ſtudijs

232 Atque hæc quidem de moribus, litterarũ verò ſtudia pari ferè paſſu cùm his gradiuntur. Nam vbi mens pacata, animus quietus, conſcientia ſerena, finis certus & ſanctiſſimus, tempus ritè diſtributum, ordo commodus, media proportionata, diligentia ſolicita, exercitatio iugis & perpetua cernitur, ibi licèt ingenia mediocria valde eſſent, non poteſt progreſſus non eſſe magnus. At multò maior eſt in his, quorum Deus non tantùm affe-

ctum purgaſſe videtur à terrenis & abiectis, vt nihil velint niſi altiſſima; ſed intellectum quoque eleuaſſe (quod conſequēs eſſe ſolet) & cæleſti quodam lumine illuſtratum, ad omnia planè perſpicatiſſimum reddidiſſe.

233 Itaque ſiue illi in dialecticis, aut Phyſicis, aut Metaphyſicis verſantur, ſiue ad Theologica aſcēderint, & in his vel ad eā partem quæ poſitiua vocatur, quæq. ſacrorum Bibliorum, textuſq. explicatione, controuerſiarum diſcuſſione, linguarumq. peritia continetur (quæ ſola Theologiæ particula hæreticis noſtris in vſu eſt) vel ad partem moralē quæ conſcientias hominum informat, & grauiſſimas de actionibus humanis occurrentes difficultates enucleat, ſiue ad ſpeculatiuam denique quæ propriè ſcholaſtica dicitur, & vt cæteris partibus difficilior, ità altior quoque & nobiliſſima eſt, & de maieſtate, bonitate, cæteriſq. Dei attributis, de rerum ab eo conditarum miraculis, de ſa-

Philoſophiæ, & Theologiæ partes variæ.

Poſitiua.

Moralis.

Scholaſtica.

cratiſſimæ Trinitatis arcanis, de incarnationis, humanæq. redemptionis myſterijs, de ui ſacramentorum, & futuræ uitæ reconditis, profundiſſima quæque, claritate ſumma & methodo planè admirabili aperit, ſiue demum ad aliam quamuis ſacratiſſimæ iſtius litteraturæ partem (omnes enim complectuntur) adoleſcentes hi noſtri ſe applicuerint, mirabiles ſanè progreſſus faciunt, & plures certè (auſim dicere) uno anno, quàm annis ſeptem domi in Academijs Anglicanis cæteri aſſequantur.

Vniuerſitatum Anglicanarũ calamitates.

234 Quid enim, Cecili, (te enim iam alloquar) quid ſimile habent vniuerſitates tuæ, vt cùm hac diſſolutorum quos vocas adoleſcẽtium educatione componi poſſit? tuas autem dico vniuerſitates Anglicanas, non quòd per te excitatæ, coagmentatæ, aut beneficio aliquo affectæ fuerint; ſed quòd à te tuiſq. perditæ, afflictæ, ſpoliatæ, & diſſipatæ cernantur. Cùm enim vel Cantabrigiæ, cui tu hodiè

indigniſſimè & nequiter præes, vel Oxonij, cui te fortaſſe nequior annis plurimis imperitauit Leceſtrius, antiquum famæ ſplendorem, inſignem litterarum gloriã, ſanctiſſimamq. diſciplinæ ſeueritatem memoria repeto: temperare certè mihi à ſummo dolore nõ poſſum. Vt enim omittam damna infinita temporalibus Collegiorum bonis, ac reditibus illata, per latrones illos & fures, quos vos iſthic Gubernatorũ, Rectorumq. locis poſuiſtis, vt Eccleſiarum ſpolia, ornamentorum Eccleſiaſticorum rapinas, & profanationes prætaream, vt ſtatutorum omnium à fundatoribus pijſſimè conditorum euerſionem & conculcationem taceam; quid quæſo reliquiſtis in pulcherrimis illis litterarum domicilijs, vel ad mores ſanum, vel ad ſtudia validum?

235 Primùm enim, cùm Rectores iſti veſtri, contrà expreſſam fundatorum mẽtem & voluntatem, & contrà ſcriptas, receptaſq. Collegiorum leges, vobis diſpen- Abſurda mulierum copia in collegijs, alijq. abuſus.

ſantibus,

ſantibus, vxores inducant, & mulierculis omnia impleant, vtrumnam iſtæ adoleſcentibus, maiora ſint futuræ, vel adiumenta ad litteras, vel ad laſciuiam incitamenta, omnes facilè iudicabunt. Deinde verò his initijs cætera ferè ſunt conformia. Clauſura nulla, nullus ianitor, veſtitus genus quod quiſque vult, aut etiam poteſt. Idem ferè de victu permittitur. Hinc habitus ſtudioſorum varij, peregrini, vaniſſimi, dementiſſimi, pro cuiuſque iuuenis aut pueri voluntate, & affectu, vel copia etiam & facultate, hinc tabernæ vinariæ ſcholaribus perpetuò oppletæ cernuntur, hinc laniſtarum, ac ſaltatorũ ſcholæ publicè frequentatæ, hinc contentiones, rixæ, & armata etiam manu non raro concertationes ſanguinariæ, hinc furta, hinc latrocinia, & maximè lenocinia, hinc opulentiſſimorum ſæpe patrimoniorum decoctiones, & dilapidationes, ita vt vniuerſitates iam veſtræ, Cecili, non tàm litterarum ſedes & domicilia,

quàm vitiorum ſentinæ, & helluationum popinæ videri poſſint. Si dicas ad hæc omnia, fidem tamen quæ ſatis eſt habent ſcholares hi noſtri; reſpondet tibi Iacobus Apoſtolus, quòd dæmones etiã credunt, idq. hac eadem tua tuorumq. fide, quæ opera non habet, ſed mortua planè eſt, & ſceleratæ vitæ conſcia. *Iacob. 2.*

236 Hinc etiam coniectura ſumi poteſt, quinam litterarum prouentus apud tuos fiant, cùm Academiarum veſtrarum tùm Doctores, tùm etiam auditores, Magiſtri, diſcipulique, iſtiuſmodi diſciplina viuãt. Sed eſt & illud quoque inſigne improbitatis veſtræ ſtultitiæq argumẽtum, quòd omnem doctrinam ſcholaſticam, ideſt, pulcherrimam illam difficillima explicandi rationem & methodum, tanto ſtudioſorum beneficio antè annos prope quingentos inuentam, & præclaris deinceps doctiſſimorum hominum ingenijs, ſtudijſq. excultam & amplificatam, è ſcholis veſtris pueriliter eieciſtis, quòd minus

Stultitia hæreticorũ in proijciẽda doctrina ſcholaſtica.

elegan-

eleganter ſcilicet loquerentur Latini eius ſcriptores, tamquam pueri planè ineptiſſimi, qui auri vrnam ideò proijciũt, quòd teſta minus ornata videatur, & vt piſcatores ſtolidi, qui margaritas deſerunt, quòd rudioribus conchis incluſæ ſe offerant. Hac enim margarita proiecta, quid vobis Doctoribuſq. veſtris remanſit in ſcholis, præterquàm verborum quædam inanitates, ſcientiarum cortices, ſyllabarum litigia, loquutionum, & phraſium, & linguarum nonnullæ rixæ, gloriolæq. & ineptiſſima quædam vanitatis ſupercilia? Hinc fit, vt adoleſcentes noſtri veſtris ſenibus, & viris veſtris pueri noſtri, in rebus philoſophicis Theologiciſq. longiſſimo interuallo ſint litteratiores. Hinc etiam fit, vt magiſtri & graduati vniuerſitatum veſtrarum, cùm ad nos tranſierint (quod frequentiſſimè contingit) admirentur valdè iuuenum noſtrorum in ſcholis reſpondendi, tùm acumen, tùm etiam ſciẽtiam; & ad grauiſſimam eorum in rebus diffi-

cillimis intelligentiã planè obſtupeſcant, quarum ipſi ne terminos quidem cognitos habent, cùm tamen apud vos ſe aliquid eſſe exiſtimarent.

237 Vt igitur finem his aliquando imponam, vides iam opinor, Cecili, quàm inepta planè calumnia adoleſcentes hos noſtros, perditos ac diſſolutos, transfugas,& patriæ proditores vocaſti,qui tantis contrà te virtutis,eruditionis,conſtantiæ,fortitudinis,feruoris, & ſanctitatis viribus dimicant,vt de eis,ac de Ieſuitis,viris ſanè religioſiſſimis, quos tu inuidiosè, ſed ſtultè tamen cùm Seminariorũ alumnis confundis,omneſq. ſimul contemptibiles ducis,dicere poſſe videar,quod Diuus Nazianzenus de ſimilibus hominibus,ideſt,de religioſis ſui temporis Chriſtianis ſcripſit contrà Iulianum Apoſtatam nihilo te meliorem, nec minus infeſtum piorum virorum ac religioſorum hoſtem, his ipſis verbis. Videſne hos „ pauperes & laris expertes? hos humi- „

Pulchra deſcriptio. „ les & ſupra infera ? hos inter homi-
„ nes, & ſupra humana? hos vinculis cor-
Naz. ora. 1. in Iulian. „ poris aſtrictos, & tamen liberos ? hos re-
„ tentos & retineri neſcios ? quorum ni-
„ hil in mundo, & omnia quæ ſupra mun-
„ dum, quorum vita duplex, altera contem
„ pta, altera ſtudioſè culta : hos, inquam,
„ qui propter mortificationē ſunt immor-
„ tales, qui propter diſſolutionem, ſunt
„ Deo coniunctiſſimi, hos, qui ab amore
„ alieni, amore flagrant, hos, quorum ru-
„ pes, & quorum cæli, quorum abiectio &
„ quorum throni, quorum nuditas, & quo-
„ rum incorruptibilitatis indumētum, quo-
„ rum hic ſolitudo, & quorum ſæculi alte-
„ rius celebritas, quorum compreſſæ, &
„ conſtrictæ voluptates, & quorum perpe-
„ tua omnemq. ſermonis facultatem exce-
„ dens animorum oblectatio, quorum la-
„ crymæ peccati diluuium, & mundi ſunt
„ piamentum, quorum extentæ inter pre-
„ cādum manus, flammas extinguunt, feras
„ conſopiunt, gladiatorum aciem retun-

dunt,

dunt, inſtructos exercitus in fugam ver- „
tunt,tuamq. etiam impietatem (mihi cre „
de) compreſſuræ ſunt,etiamſi ad aliquod „
tempus extollaris, impietatiſq. fabulam, „
cùm tuis Dæmonibus ludas; quonam „
igitur modò ne hæc quidem pertimeſcis, „
homo audaciſſime, atque,ſi quis alius,ad „
mortem præceps? Hæc ad te Nazianze- „
nus,Cecili, ſub Iuliani perſona. „

238 Atque certè, ſi vel fidei Catholicæ amplitudinem conſideramus,quam tu in angulo iſthic tuo vermiculus perſequeris, vel Martyrum Anglorum numerũ & gloriam,quos tu fictis criminibus,non vt Chriſti Martyres,ſed vt flagitiorum reos, eodem penitus quo Iulianus ſcelere occidendos curaſti,perpendamus; inueniemus ſequentia quoque eiuſdem ſancti viri verba proprijſſime in te conuenire,Cecili,quæ eadem oratione in eundem Apoſtatam ſic ſcribit, tibi iterum atque iterum, ni fallor, attento animo perpendenda.

Veriſsima Nazianzeni in Cecilium interrogatio.

239 Homo ſtultiſſimé & impijſſime, & in magnis, inquit, rebus imperitiſſime; tunc aduerſus tantam ſortem ac per to- „ tum orbem ſuſam oblationem, quæ om- „ nes terræ fines complexa eſt,quæ ſapien „ tes vicit,& dæmones oppreſſit,& tempus „ ipſum ſuperauit? tunc (quis autem & „ quantus,& vnde profectus) tunc aduer- „ ſus magnam Chriſti hæreditatem, ma- „ gnam,inquam,illam,nec etiamſi quidam „ maiori quàm tu furore atque inſania præ- „ cipites ferantur,finem habituram,ſed lon „ gius multo progreſſuram, altiuſq. aſſur- „ recturam? Tune aduerſus Chriſti ſacri- „ ficium cum tuis piaculis? tune aduerſus „ eum cruorem, quo mundus purgatus eſt „ cum tuis cruoribus? tune bellum aduer- „ ſus pacem? tune manum aduerſus eam, „ quæ pro te,& propter te,clauis transfixa „ eſt? tune aduerſus crucem Chriſti, tro- „ phæum ponis? aduerſus mortem,oppreſ- „ ſionem? aduerſus reſurrectionem, rebel- „ lionem? poſt Herodem perſequutor,

poſt

poſt Iudam proditor (niſi quòd non laqueo adhuc, vt ille, pænitentis animi ſignificationem dediſti) poſt Pilatum Chriſticida? poſt Iudæos Dei hoſtis? Nonne victimas illas pro Chriſto cæſas veritus es? nec magnos pugiles extimuiſti, qui pro veritate periculis ſe obiecerunt? qui cùm igne & ferro, animò alacri, velut in alienis corporibus, immò quaſi corporum expertes dimicarunt, ne pietatem vel verbò tenus proderent? Hactenus Nazianzenus in Apoſtatam, quæ & in te, Cecili, hominem hæreticum & perſequutorem, & homicidam ſubdolum; & apoſtatare cogentem, liberiori multò & ardentiori vocis ſonitu dixiſſet ſanctiſſimus Eccleſiæ Catholicæ Doctor, ſi modò viueret.

240. Et profectò feci ſtudio, vt eſſem aliquantò in his Dei ſeruis defendēdis prolixior, tùm quòd officio ad hoc ipſum teneri me intelligebam, tùm quòd in peccatis tuis, Cecili, ac Reginæ tuæ (quæ in Ec-

cleſiam remq. Chriſtianorum omnium publicam grauiſſima ſanè exiſtimare debes) nihil, opinor, atrocius aut ſceleſtius, nihil ad ſummam nequitiam, intolerabilemq. damnationem veſtram capitalius eſt, quàm (vt ſæpius iam dixi) quòd contrà fas, iuſque, contrà veritatem facti vobis ipſis perſpectiſſimam, contrà conſciẽ-

Summa Concilij nequitia.

tias veſtras, ac veſtrorum omnium, homines innocentiſſimos calumnijs opprimitis, & tamquam in humano ſanguine crudeliter ludentes, eos quotidiè occidendos decernitis, quorum ficta crimina nec in perſonis, nec in rebus ipſis, nec in vlla facti circunſtantia hærere poſſunt, & de quibus ſi tu domi ab amico aliquo tuo, preſſius interrogareris, vel cachinno certè aliquo vel ſanna rẽ diſſolueres, vel contrà compoſito ad ſeueritatem vultu, ità reipublicæ veſtræ, & Euangelij noui incolumitati expedire, ſubridens tamen, reſponderes.

241 Cæterum ex vniuerſa calumniarum

ac mendaciorum acie, quam in horum virorum ſanguinem ſceleratè inſtruitis, nihil eſt iniquius aut impudentius, quàm quòd tertia ſectionis huius criminatione cõtinetur, de Seminariorum ſcilicet peruerſo fine, & de commiſſione & mandatis Pontificis, quæ ſecum Sacerdotes in Angliam referre dicis, ad abducendos ſubditos, & ſeditiones mouendas. Item quòd iuramentis & ſacramentis cõſcientias hominum illigent, ad obedientiam Reginæ debitam, in Põtificem & Regem Hiſpaniæ trãsferendã; quòd indulgẽtias, & anathematiſmos ad hoc ipſum inducant,& alia iſtiuſmodi,quorũ nonnulla vt ita vera ſint ſicut dicitur, vtq. à nobis facilè concedantur; ſic tamen tu pro more tuo,fraudulẽter falſis fictiſq. permiſces & inuoluis,vt Diabolus, opinor, fraudulentiùs non vſus ſit Scripturis ſacris, contrà Chriſtum ſcripturarum authorem,quàm tu à nobis conceſſis, contrà iſtos, nec ille peſtilentiores inde cõſequutiones elicuit.

Tertia ſectionis criminatio calumnioſiſſima.

Matth. 8. *Luc.* 4.

Quod

Quod vt manifeſtius conſtet, vnumquodque magis diſtinguendum, & limatius paulò explicandum iudico.

242 Primò igitur quod Edicto hoc affirmas, finem horum Seminariorum in eo poſitum eſſe, vt adoleſcentes abſolutis ſtudiorum ſuorum curriculis, in Regnum Angliæ clam reuertantur, non abnuimus. Ideo enim ex Anglia egrediuntur, vt iterum reuertãtur, & ideò redeunt clàm, quia palàm per vos redire non per-
Ioan.7. „ mittuntur. Ieſus autem (inquit Ioannes)
„ aſcendit in Hieruſalem non manifeſtè,
Ioan.12. „ ſed quaſi in occulto. Et alio loco. Ieſus
„ ergo iam non palàm ambulabat apud
„ Iudæos, quia quærebant eum interficere.
Fatemur etiam quod adiungis, cùm ampla Romani Pontificis poteſtate Sacerdotes hos in Angliã reuerti. Nam apud nos neque Sacerdotes eſſe poſſunt vlli, ſine eius authoritate, quem Eccleſiæ Catholicæ in terris caput, principemq. confitemur: & multò minus poteſtas aut iu-

riſdictio

riſdictio vlla ad munera Sacerdotalia exercenda, & ad animas hominum ligandas vel abſoluendas, niſi illo approbante, concedi poteſt; cùm primò nos & principaliter Petro dictum eſſe à Domino intelligamus, & per illum cæteris: Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis. Itaque quidquid vos iſthic, citrà hanc Pontificalem Petri authoritatẽ, Reginali veſtra (quæ certè Pontificia eſſe non poteſt) facitis, conditis, fingitis, luditis: illegitimum eſt, iniuſtum eſt, peccatum eſt, nihil eſt. *Matth. 16.*

243 Quemadmodum igitur iſta ingenuè fatemur, Sacerdotes nimirũ noſtros clàm ad vos reuerti facultate Romani Pontificis ornatos, & inſtructos, ad animas popularium gentiliumq. ſuorum ab hæreſis vitiorumq. peſte ad verum Dei cultum reuocandas, & Eccleſiæ vniuerſalis gremio reſtituendas; ità pernegamus, hoc ad ſeditionem pertinere, niſi tu ſeditionem

illam ſanctam intelligas, qua dixit Chri-
Matth.10. ſtus Dominus: Se non veniſſe pacem mit
„ tere, ſed gladium, & ſeparare hominem
„ aduerſus patrem ſuum, & filiam aduer-
„ ſus matrem ſuam (& conſequenter etiam
ſine dubio, ſubditos aduerſus principes
ſuos) ſi cauſa Dei hoc poſtularet. Nam
melior longè eſt hæc ſeditio, quàm vlla
pax, non tantùm impiorum, quæ diui-
næ maieſtati abhominabilis planè eſt,
ſed etiam iuſtorum in hac vita. Vnde
& apud Diuum Lucam idem Dominus
Luc.12. ait: Ignem veni mittere in terram, &
„ quid volo niſi vt accendatur? & ſtatim
ſubiungit de ignis iſtius ſanctiſſimis effe-
„ ctibus: Putatis quia pacem veni mittere
„ in terram? non, dico vobis, ſed ſeparatio-
„ nem. Erunt enim ex hoc quinque in do-
„ mo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres
„ diuidentur, pater in filium & filius in
„ Patrem ſuum, mater in filiam & filia in
„ matrem, ſocrus in nurum, & nurus in ſo-
„ crum ſuam. Et paulò poſt ſeuerius adhuc

& mira-

& mirabilius planè idem Dominus: Si quis, inquit, non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores propter me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Luc.14.*

244 Eſt igitur quædam ſeditio, Cecili, ſi hoc verbo vti malueris, legitima & ſancta, eſt quædam ſeparatio & diuiſio pia & neceſſaria, quædam diſſenſio Chriſti ore laudata, quoddam odium ab eodem Domino ſeuerè præceptum, quædam reluctatio, rebellio, & inobedientia (ſi his tamen nominibus appellari poſſunt) non ſolùm in Magiſtratum ciuilem, ſed in patres etiam & matres, Dei voce ſanctificata, qua Apoſtoli nimirum principibus Iudæorum reſponderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et qua ſecũdus Machabæorũ Antiocho Regi iniqua quædam circa religionem præcipienti reſpondit voce clara, inquit ſcriptura. Non faciam. Et qua tres pueri Hebræi apud Chaldæos Regi Nabuchodonoſori *Seditio quędã ſancta.* *Act. 5.* *2.Mach.7.*

ſimilia iubenti, eadem planè libertate cō-
Dan. 3. » ſtantiaq. dixerunt: Non oportet nos de
» hac re reſpondere tibi; tamquam ſi ne reſponſo quidem eū dignarentur, vbi quidquam peruersè de religione præciperet, & multò quidem minus contrà Deum obedirent.

245 Si hanc igitur inobedientiam, Cecili, ſi hanc diſſenſionem ac ſeditionem intelligis (quod ſanè intelligis) fateor Sacerdotes noſtros tibi inobedientes eſſe, & forè ſemper, immò eſſe debere, vt Deo obediant. Fateor diſſentientes eſſe, reluctantes eſſe, rebelles veſtræ voluntati eſſe, vt cùm Deo vnionem, & pacem habeant, ac eius imperio ſubiectionē præſtent. Et quantò magis tu eos de his accuſas, tātò magis exultant, quantò magis minitaris, tantò magis animātur, quantò magis perſequeris, tātò magis ſanctificantur, quātò occidis magis, tantò magis glorificantur. Hoc vnum aſſero, malignum eſſe & mendaciſſimum, ideſt, tuum eſſe, non illorum,

quod addis, Hiſpanicæ neſcio cuius inuaſionis expectatione ſpeq. hoc eos facere, vt bonis ac poſſeſſionibus bonorum fideliumq; ſubditorum ditentur; quod eiuſdem planè veritatis ac fundamenti eſt, ac illud ſycophantarum Hebræorum de Chriſto Domino: Hunc inuenimus „ *Luc. 23.*
ſubuertentem gentem noſtram & prohi- „
bentem tributa dari Cæſari. „

246 Illud autem quod ſequitur, mera calumnia eſt, veris nonnullis ad ſpeciem intertexta, ſed infinitis propè repleta mendacijs, & fraudibus, nimirum quod habet Edictum, de iuramentis & ſacramentis quibus obligantur Anglicani Catholici. Item de indulgentijs & excommunicationibus, quas ad eam rem Sacerdotes noſtri adferre dicuntur. Primò enim falſum eſt omninò, iuramentum vllum poſtulari aut ſumi ab ijs, qui ad Eccleſiæ Catholicæ vnionem in Anglia reuertuntur, quamquàm illud legitimè, & perantiqua Eccleſiæ conſuetudine in hæreticis

Diuerſæ calumniæ refutatæ.

& ſchiſmaticis reconciliandis, cùm opus eſſe videtur, fieri poſſit. Deindè verò, de ſacramentis hoc tantùm cōceditur, eum qui Eccleſiæ aliquod ſacramentum percepit, obligationem quandam inde ſuſcipere ſequendi fidem & mādata eiuſdem Eccleſiæ, cuius ſacramentum ſuſcipit, quod in baptiſmo profitentur omnes, & cæterorum etiam ſacramentorum ſuſceptione, frequentiaq. confirmatur. Et certiſſimum ſanè eſt, Sacerdotes noſtros Sacramentum nullum Eccleſiæ Catholicæ (præſertim verò abſolutionis aut communionis) cuiquam in Anglia ſpontè eſſe adminiſtraturos, quem poſteà fore, vel deſertorem, vel præuaricatorem exiſtimarent. Hoc tamen (vt dixi) iuramentum non eſt: & multò minus verum eſt, his Sacramentis tolli obedientiam ſubditorum, quam in rebus ciuilibus Reginæ debent, aut transferri illam in Pontificem Romanum, aut Regem Hiſpaniæ; hæc enim ex ſolo Cecilij mendacio ad con-

flandum odium confinguntur, neque vllius hactenus Sacerdotis aut hominis Catholici confeſſione (ne per tormenta quidem expreſſa) figmentum iſtud conſtitit.

247 Quod de indulgentijs etiam & anathemate proponitur, partim quidem verum eſt, ſed maxima tamen ex parte adulteratum, & calumnioſum. Fatemur enim vtrumque horum in poteſtate eſſe Eccleſiæ Catholicæ, & ſummi Paſtoris, vt filios conſoletur, & rebelles caſtiget: ſed his vti Sacerdotes Anglicanos ad eum finem quem Edictum calumniatur manifeſtò falſum eſt. Immò Sacerdotes in eo piam & perutilem Elizabethæ operam ſanè nauarunt, duodecimo ferè abhinc anno, vt ſententia nimirum ſummorum Pontificũ, quæ de Reginæ excommunicatione & depoſitione lata erat, quaq. ſubditis præcipiebatur; ſub grauiſſimis cenſuris Eccleſiaſticis, vt nullam ei amplius obedientiam præſtarent, moderatione

De indulgentijs & anathemate.

quadam,

quadam,idq. ipſorum Pontificum explicatione leniretur. Quæ quidem moderatio id expoſuit,ſubditos Anglicanos,non obſtante priori Eccleſiæ mandato,ſubiectionem, obedientiamq. ſicut anteà Reginæ exhibere, in rebus omnibus ciuilibus, ſalua cõſcientia,pro præſenti rerum ſtatu poſſe, modò in rebus Eccleſiaſticis & diuinis,& ad animã religionemq. pertinentibus reuerentiam interim debitam Eccleſiæ Catholicæ,eiuſq. ſummo Paſtori deferant, quæ cùm iure diuino ſancita ſit, nulla humana authoritate aboleri aut tolli poteſt.

Sacerdotũ prudẽtia & moderatio.

248 Hac igitur diſtinctione moderationeq. progreſſi ſunt Sacerdotes noſtri in animarum opere proſequendo, vt in rebus ad rempub. & ad poteſtatẽ Regiam pertinentibus, omnem Reginæ obedientiam ſubiectionemque, tùm Catholicis perſuaderent, tùm ipſi quoque fideliſſime exhiberent, quæ Eccleſiaſticæ verò poteſtatis animarumq. eſſent, ea anima-

rum

rum paſtori, Chriſtiq. Vicario reſeruarent, quod eſt eiuſdem Chriſti Domini implere mandatum, præcipientis, dari quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo. *Matth. 22.*

249 Neque hoc à quoquam negari poteſt, Sacerdotes noſtros religioſiſſimè nō obſeruaſſe. Nam vna omniū voce quotquot hactenus per vos comprehenſi fuerunt, res extitit conteſtata, & plurimi etiā martyres de hac ipſa re, in ipſo mortis articulo, per aduerſarios & interfectores ſuos interrogati, publicè, clarèq. confeſſi, profeſſiq. ſunt, hoc ſemper ſe docuiſſe, hortatos eſſe, credidiſſe, factitaſſe, vt Reginæ omnis obedientia in ciuilibus, prout cæteris principibus, iuxta ſummi Pontificis explicationem præſtaretur.

250 Quæ quidem poteſtas Principis, ſubditorūq. ſubiectio, cùm tanta ſit quantam Chriſtianis hominibus exhibere licet magiſtratui ciuili; cùmq. eadem contenti ſint non tantùm hodie Chriſtiani reliqui

Poteſtas ſęcularis & Eccleſiaſtica diſtinctæ.

Principes omnes (potentiſſimi licet monarchæ) fuerintq. olim præteriti vniuerſi, & imprimis Anglicani Reges, qui ſumma gloria, & maieſtate floruerũt, ſed Iudæorum quoque Gentiliumq. reſpub. hanc ipſam diſtinctionem admiſerint, vt alia ſacrorũ, alia ciuilium eſſet poteſtas. Cùm (inquam) hæc ita ſint, & hæ duæ poteſtates, tùm ipſa rerum natura, tùm Dei etiam ordinatione, temporumq. omnium vſu cernantur diſtinctæ; ſi tamen Elizabetha vtramque ſibi tribui violenter poſtulet, hocq. contrà maiorum omnium morem, reliquorumq. Principum exemplum, contrà ius, faſq., contrà animarum ſalutem, & contrà manifeſtũ Dei, Eccleſiæq. mandatum; non ſubditorum eſt defectio, ſed ipſius præſumptio, quòd poſtulata tam iniqua ei denegentur. Quid tamen illa hac ipſa de re in fideliſſimos ſubditos crudelitatis exerceat, ex ſequenti Edicti ſectione, quam modò aggredimur, perſpicietur.

SECTIO IIII.

Edicti verba.

ET quamquam genus hoc molitionum Papalium, iamdiu apud aliquos in vſu fuerit, tamen aliquo etiam modo per nos impeditæ fuerunt, directa quadam legum contra iſtiuſmodi perduelles executione, hocq; tantum ob proditiones, & læſæ maieſtatis crimina, & ob nullum omnino religionis articulum, vt eorum fautores falſo ad eorum actiones fucandas perſuadere vellent. Quod tamen ex eo manifeſte refutatur, quod in proceſsibus criminalibus, qui contrà iſtos fiunt, non accuſantur, neque condemnantur, neque morti traduntur, ob aliud quàm ob ſupremæ maieſtatis læſæ crimen, affirmantes inter cætera, quod ſi Papa contra nos & religionem noſtram exercitum aliquem mitteret, ipſi ei adhærerent & à partibus eius ſtarent. Molitiones Papales.

Prætereà quòd nullus iſtorum mortem patiatur propter religionis negotium, ex hoc quoque euidentiſsime probatur, quod multi viri locupletes in regno noſtro cognoſcuntur eſſe, qui religionem noſtræ contrariam profitentur, & tamen neque vita, neque poſſeſsionibus, neque bonis, neque libertate, ob hoc ipſum plectuntur, ſed tantum vt ſoluant ſummam quandam pecuniariam, tamquam pœnam pro tempore, quo Eccleſias noſtras frequentare recuſant, qui modus agendi noſter, clariſsime refellit ſermones illos, & libellos infamatorios, quos fugitiui noſtri in terris alienis diuulgant.

Seminaria. *His tamen non obſtantibus, certiſsime nobis conſtat, capita quædam iſtorum latibulorum, ac receptaculorum, quæ perduelles noſtri Seminaria ſeu Ieſuitarum Collegia vocant, recenter admodum Hiſpaniæ Regi iterum perſuaſiſſe, quod etſi antea magna illa claßis Hiſpanica contrà nos inſtructa ſucceſſum infelicem habuerit, ſi tamen iterum rem aggrediatur fore parata intra Inſulam*

hanc

hanc multa hominum millia (vt ipſi ad commodum ſuum rationem ineunt) qui exercitum eius in terram ſemel expoſitum ſequantur, & quamquam Rex ſecundum prudentiæ regulam & experientiam ſuperioris temporis, nullam huiuſmodi ſpem de immittendis militibus ſuis in Angliam, concipere deberet, falſis tamen his promiſsis & informationibus tentatus eſt.

Informationes verò iſtæ fiunt Regi in Hiſpania, præcipue per ſcholaſticum quendam vocatum Perſonium, qui id ſibi aſſumit, vt Regis Catholici confeſſarius ſit, & Romano Pontifici per alium ſcholarem, Alanum nomine, qui iam ob ſuas contra nos proditiones, Galeri Cardinalitij honorem accepit. Hi duo nominum quorundam catalogos his principibus exhibuerunt, plurimorum hominum quos iſti exiſtimant factionis ſuæ eſſe, vel fore, præſertim in locis maritimis ditionum noſtrarum, & certiſsimos Hiſpanicarum partium fautores & coadiutores, cùm exercitus aduenerit. Et quamquam tùm Papa, tùm Alanus & Perſonius.

etiam

etiam Rex rectè intelligant maiorem partem eorum quæ iſti ſuggerunt falſa eſſe, tamen cùm videant, Seminariſtas iſtos, Sacerdotes, & Ieſuitas idoneos eſſe, qui impijs ſuis deſignationibus inſeruiant, & populum ſuum reconciliatum in perdita ſua conſtantia conſeruent, non paucos ex eis recenter, ideſt, infra decem, vel duodecim menſium ſpatium huc clam in Angliam miſerunt, vt per Regnum diſperſi, complicibus ſuis annuncient, Regem omnino ſtatuiſſe (quemadmodum ex aliquibus eorum comprehenſis intelleximus) ſequente anno vires ſuas vniuerſas contra Angliam iterum adhuc ſemel experiri. Sed quia nonnulli ex Conſiliarijs Regis, reliquis prudentiores exiſtimant, nihil hac re profici poſſe: ideo Rex cogitauit, ſi contra nos nihil proficiat, eandem tamen claſſem poſſe non incommode contra Galliam, aut Belgium, aut contrà partem aliquam Scotiæ (quo etiam nonnulla Seminariorum iſtorum progenies immiſſa eſt) conuerti.

RESPONSIO.

VNiuerſa hæc Edicti ſectio, vt omnibus manifeſtum eſt, duobus maximè capitibus continetur, quorum primum in eo laborat, vt clariſſimis Chriſti martyribus, qui impijſſimè ab Elizabetha quotidie penè occidũtur, Martyrij laudem auferat; aliud de Alano & Perſonio figmenta quædam abſurdiſſima continet, quæ paulò poſt facillimè liquidiſſimèq. diluentur. Sectionis ſumma.

251 Ac primò quidem manifeſtiſſimè progenitores ſuos, perſequutores hæreticos & apoſtatas antiquiſſimos, Caluiniani iſti Anglicani imitantur, quorum proprium ſemper fuit, Catholicorum à ſe interfectorum gloriæ inuidere, ita vt quos ex malitia occidebant, eorum tamen occiſionis cauſam ex inuidia occultare & diſſimulare niterentur. Ita Diuus Hilarius de Conſtante Imperatore Arriano, Antiquorũ perſequutorum mos. *Hil. l. in Conſt.*

quem

illam ſanctam intelligas, qua dixit Chri-
Matth. 10. ſtus Dominus: Se non veniſſe pacem mit
„ tere, ſed gladium, & ſeparare hominem
„ aduerſus patrem ſuum, & filiam aduer-
„ ſus matrem ſuam (& conſequenter etiam
ſine dubio, ſubditos aduerſus principes
ſuos) ſi cauſa Dei hoc poſtularet. Nam
melior longè eſt hæc ſeditio, quàm vlla
pax, non tantùm impiorum, quæ diui-
næ maieſtati abhominabilis planè eſt,
ſed etiam iuſtorum in hac vita. Vnde
& apud Diuum Lucam idem Dominus
Luc. 12. ait: Ignem veni mittere in terram, &
„ quid volo niſi vt accendatur? & ſtatim
ſubiungit de ignis iſtius ſanctiſſimis effe-
„ ctibus: Putatis quia pacem veni mittere
„ in terram? non, dico vobis, ſed ſeparatio-
„ nem. Erunt enim ex hoc quinque in do-
„ mo vna diuiſi, tres in duos, & duo in tres
„ diuidentur, pater in filium & filius in
„ Patrem ſuum, mater in filiam & filia in
„ matrem, ſocrus in nurum, & nurus in ſo-
„ crum ſuam. Et paulò poſt ſeuerius adhuc

& mirabilius planè idem Dominus: Si quis, inquit, non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores propter me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Luc.14.*

244 Eſt igitur quædam ſeditio, Cecili, ſi hoc verbo vti malueris, legitima & ſancta, eſt quædam ſeparatio & diuiſio pia & neceſſaria, quædam diſſenſio Chriſti ore laudata, quoddam odium ab eodem Domino ſeuerè præceptum, quædam reluctatio, rebellio, & inobedientia (ſi his tamen nominibus appellari poſſunt) non ſolùm in Magiſtratum ciuilem, ſed in patres etiam & matres, Dei voce ſanctificata, qua Apoſtoli nimirum principibus Iudæorum reſponderunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et qua ſecūdus Machabæorū Antiocho Regi iniqua quædam circa religionem præcipienti reſpondit voce clara, inquit ſcriptura. Non faciam. Et qua tres pueri Hebræi apud Chaldæos Regi Nabuchodonoſori

Seditio quędã ſancta.

Act. 5.

2. Mach. 7.

ſimilia iubenti,eadem planè libertate cō-
Dan. 3. ” ſtantiaq. dixerunt : Non oportet nos de
” hac re reſpondere tibi;tamquam ſi ne re-
ſponſo quidem eũ dignarentur,vbi quid-
quam peruerſè de religione præciperet,
& multò quidem minus contrà Deum
obedirent.

245 Si hanc igitur inobedientiam, Cecilii, ſi hanc diſſenſionem ac ſeditionem intelligis (quod ſanè intelligis) fateor Sacerdotes noſtros tibi inobedientes eſſe, & forè ſemper, immò eſſe debere,vt Deo obediant. Fateor diſſentientes eſſe,reluctantes eſſe,rebelles veſtræ voluntati eſſe, vt cùm Deo vnionem,& pacem habeant, ac eius imperio ſubiectionē præſtent. Et quantò magis tu eos de his accuſas, tātò magis exultant, quantò magis minitaris, tantò magis animātur,quantò magis perſequeris,tātò magis ſanctificantur,quātò occidis magis,tantò magis glorificantur. Hoc vnum aſſero,malignum eſſe & mendaciſſimum, ideſt,tuum eſſe,non illorum,

quod addis, Hiſpanicæ neſcio cuius inuaſionis expectatione ſpeq. hoc eos facere, vt bonis ac poſſeſſionibus bonorum fideliumq; ſubditorum ditentur; quod eiuſdem planè veritatis ac fundamenti eſt, ac illud ſycophantarum Hebræorum de Christo Domino: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram & prohibentem tributa dari Cæſari. *Luc. 23.*

246 Illud autem quod ſequitur, mera calumnia eſt, veris nonnullis ad ſpeciem intertexta, ſed infinitis propè repleta mendacijs, & fraudibus, nimirum quod habet Edictum, de iuramentis & ſacramentis quibus obligantur Anglicani Catholici. Item de indulgentijs & excommunicationibus, quas ad eam rem Sacerdotes noſtri adferre dicuntur. Primò enim falſum eſt omninò, iuramentum vllum poſtulari aut ſumi ab ijs, qui ad Eccleſiæ Catholicæ vnionem in Anglia reuertuntur, quamquam illud legitimè, & perantiqua Eccleſiæ conſuetudine in hæreticis Diuerſæ calumniæ refutatæ.

& ſchiſmaticis reconciliandis, cùm opus eſſe videtur, fieri poſſit. Deindè verò, de ſacramentis hoc tantùm cōceditur, eum qui Eccleſiæ aliquod ſacramentum percepit, obligationem quandam inde ſuſcipere ſequendi fidem & mādata eiuſdem Eccleſiæ, cuius ſacramentum ſuſcipit, quod in baptiſmo profitentur omnes, & cæterorum etiam ſacramentorum ſuſceptione, frequentiaq. confirmatur. Et certiſſimum ſanè eſt, Sacerdotes noſtros Sacramentum nullum Eccleſiæ Catholicæ (præſertim verò abſolutionis aut communionis) cuiquam in Anglia ſpontè eſſe adminiſtraturos, quem poſteà fore, vel deſertorem, vel præuaricatorem exiſtimarent. Hoc tamen (vt dixi) iuramentum non eſt: & multò minus verum eſt, his Sacramentis tolli obedientiam ſubditorum, quam in rebus ciuilibus Reginæ debent, aut transferri illam in Pontificem Romanum, aut Regem Hiſpaniæ; hæc enim ex ſolo Cecilij mendacio ad con-

flandum

flandum odium confinguntur, neque vllius hactenus Sacerdotis aut hominis Catholici confeſſione (ne per tormenta quidem expreſſa) figmentum iſtud conſtitit.

247 Quod de indulgentijs etiam & anathemate proponitur, partim quidem verum eſt, ſed maxima tamen ex parte adulteratum, & calumnioſum. Fatemur enim vtrumque horum in poteſtate eſſe Eccleſiæ Catholicæ, & ſummi Paſtoris, vt filios conſoletur, & rebelles caſtiget: ſed his vti Sacerdotes Anglicanos ad eum finem quem Edictum calumniatur manifeſtò falſum eſt. Immò Sacerdotes in eo piam & perutilem Elizabethæ operam ſanè nauarunt, duodecimo ferè ab hinc anno, vt ſententia nimirum ſummorum Pontificũ, quæ de Reginæ excommunicatione & depoſitione lata erat, quaq. ſubditis præcipiebatur, ſub grauiſſimis cenſuris Eccleſiaſticis, vt nullam ei amplius obedientiam præſtarent, moderatione

De indulgentijs & anathemate.

quadam,

quadam, idq. ipſorum Pontificum explicatione leniretur. Quæ quidem moderatio id expoſuit, ſubditos Anglicanos, non obſtante priori Eccleſiæ mandato, ſubiectionem, obedientiamq. ſicut anteà Reginæ exhibere, in rebus omnibus ciuilibus, ſalua cõſcientia, pro præſenti rerum ſtatu poſſe, modò in rebus Eccleſiaſticis & diuinis, & ad animã religionemq. pertinentibus reuerentiam interim debitam Eccleſiæ Catholicæ, eiuſq. ſummo Paſtori deferant, quæ cùm iure diuino ſancita ſit, nulla humana authoritate aboleri aut tolli poteſt.

Sacerdotũ prudẽtia & moderatio.

248 Hac igitur diſtinctione moderationeq. progreſſi ſunt Sacerdotes noſtri in animarum opere proſequendo, vt in rebus ad rempub. & ad poteſtatẽ Regiam pertinentibus, omnem Reginæ obedientiam ſubiectionemque, tùm Catholicis perſuaderent, tùm ipſi quoque fideliſſimè exhiberent, quæ Eccleſiaſticæ verò poteſtatis animarumq. eſſent, ea anima-

rum

rum paſtori, Chriſtiq. Vicario reſeruarent, quod eſt eiuſdem Chriſti Domini implere mandatum, præcipientis, dari quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo. *Matth. 22.*

249 Neque hoc à quoquam negari poteſt, Sacerdotes noſtros religioſiſſimè nõ obſeruaſſe. Nam vna omniũ voce quotquot hactenus per vos comprehenſi fuerunt, res extitit conteſtata, & plurimi etiã martyres de hac ipſa re, in ipſo mortis articulo, per aduerſarios & interfectores ſuos interrogati, publicè, clarèq. confeſſi, profeſſiq. ſunt, hoc ſemper ſe docuiſſe, hortatos eſſe, credidiſſe, factitaſſe, vt Reginæ omnis obedientia in ciuilibus, prout cæteris principibus, iuxta ſummi Pontificis explicationem præſtaretur.

250 Quæ quidem poteſtas Principis, ſubditorũq. ſubiectio, cùm tanta ſit quantam Chriſtianis hominibus exhibere licet magiſtratui ciuili; cùmq. eadem contenti ſint non tantùm hodie Chriſtiani reliqui *Poteſtas ſęcularis & Eccleſiaſtica diſtinctæ.*

Principes omnes (potentiſſimi licet monarchæ)fuerintq. olim præteriti vniuerſi, & imprimis Anglicani Reges, qui ſumma gloria,& maieſtate floruerũt, ſed Iudæorum quoque Gentiliumq. reſpub. hanc ipſam diſtinctionem admiſerint, vt alia ſacrorũ,alia ciuilium eſſet poteſtas.Cùm (inquam) hæc ita ſint,& hæ duæ poteſtates,tùm ipſa rerum natura,tùm Dei etiam ordinatione, temporumq. omnium vſu cernantur diſtinctæ; ſi tamen Elizabetha vtramque ſibi tribui violenter poſtulet, hocq. contrà maiorum omnium morem, reliquorumq. Principum exemplum,contrà ius, faſq., contrà animarum ſalutem, & contrà manifeſtũ Dei,Eccleſiæq. mandatum; non ſubditorum eſt defectio, ſed ipſius præſumptio, quòd poſtulata tam iniqua ei denegentur. Quid tamen illa hac ipſa de re in fideliſſimos ſubditos crudelitatis exerceat, ex ſequenti Edicti ſectione,quam modò aggredimur, perſpicietur.

SECTIO IIII.

Edicti verba.

ET quamquam genus hoc molitionum Papalium, iamdiu apud aliquos in vſu fuerit, tamen aliquo etiam modo per nos impeditæ fuerunt, directa quadam legum contra iſtiuſmodi perduelles executione, hocq; tantum ob proditiones, & læſæ maieſtatis crimina, & ob nullum omnino religionis articulum, vt eorum fautores falſo ad eorum actiones fucandas perſuadere vellent. Quod tamen ex eo manifeſte refutatur, quod in proceſſibus criminalibus, qui contrà iſtos fiunt, non accuſantur, neque condemnantur, neque morti traduntur, ob aliud quàm ob ſupremæ maieſtatis læſæ crimen, affirmantes inter cætera, quod ſi Papa contra nos & religionem noſtram exercitum aliquem mitteret, ipſi ei adhærerent & à partibus eius ſtarent.

Molitiones Papales.

Præterea quòd nullus iſtorum mortem patiatur propter religionis negotium, ex hoc quoque euidentiſsime probatur, quod multi viri locupletes in regno noſtro cognoſcuntur eſſe, qui religionem noſtræ contrariam profitentur, & tamen neque vita, neque poſſeſsionibus, neque bonis, neque libertate, ob hoc ipſum plectuntur, ſed tantum vt ſoluant ſummam quandam pecuniariam, tamquam pœnam pro tempore, quo Eccleſias noſtras frequentare recuſant, qui modus agendi noſter, clariſsime refellit ſermones illos, & libellos infamatorios, quos fugitiui noſtri in terris alienis diuulgant.

Seminaria.

His tamen non obſtantibus, certiſsime nobis conſtat, capita quædam iſtorum latibulorum, ac receptaculorum, quæ perduelles noſtri Seminaria ſeu Ieſuitarum Collegia vocant, recenter admodum Hiſpaniæ Regi iterum perſuaſiſſe, quod etſi antea magna illa claſsis Hiſpanica contrà nos inſtructa ſucceſſum infelicem habuerit, ſi tamen iterum rem aggrediatur fore parata intra Inſulam

hanc

hanc multa hominum millia (vt ipſi ad commodum ſuum rationem ineunt) qui exercitum eius in terram ſemel expoſitum ſequantur, & quamquam Rex ſecundum prudentiæ regulam & experientiam ſuperioris temporis, nullam huiuſmodi ſpem de immittendis militibus ſuis in Angliam, concipere deberet, falſis tamen his promiſsis & informationibus tentatus eſt :

Informationes verò iſtæ fiunt Regi in Hiſpania, præcipue per ſcholaſticum quendam vocatum Perſonium, qui id ſibi aſſumit, vt Regis Catholici confeſſarius ſit, & Romano Pontifici per alium ſcholarem, Alanum nomine, qui iam ob ſuas contra nos proditiones, Galeri Cardinalitij honorem accepit. Hi duo nominum quorundam catalogos his principibus exhibuerunt, plurimorum hominum quos iſti exiſtimant factionis ſuæ eſſe, vel fore, præſertim in locis maritimis ditionum noſtrarum, & certiſsimos Hiſpanicarum partium fautores & coadiutores, cùm exercitus aduenerit. Et quamquam tùm Papa, tùm

Alanus & Perſonius.

etiam Rex rectè intelligant maiorem partem eorum quæ iſti ſuggerunt falſa eſſe, tamen cùm videant, Seminariſtas iſtos, Sacerdotes, & Ieſuitas idoneos eſſe, qui impijs ſuis deſignationibus inſeruiant, & populum ſuum reconciliatum in perdita ſua conſtantia conſeruent, non paucos ex eis recenter, ideſt, infra decem, vel duodecim menſium ſpatium huc clam in Angliam miſerunt, vt per Regnum diſperſi, complicibus ſuis annuncient, Regem omnino ſtatuiſſe (quemadmodum ex aliquibus eorum comprehenſis intelleximus) ſequente anno vires ſuas vniuerſas contra Angliam iterum adhuc ſemel experiri. Sed quia nonnulli ex Conſiliarijs Regis, reliquis prudentiores exiſtimant, nihil hac re profici poſſe: ideo Rex cogitauit, ſi contra nos nihil proficiat, eandem tamen claſſem poſſe non incommode contra Galliam, aut Belgium, aut contrà partem aliquam Scotiæ (quo etiam nonnulla Seminariorum iſtorum progenies immiſſa eſt) conuerti.

RESPONSIO.

VNiuerſa hæc Edicti ſectio, vt omnibus manifeſtum eſt, duobus maximè capitibus continetur, quorum primum in eo laborat, vt clariſſimis Chriſti martyribus, qui impijſſimè ab Elizabetha quotidie penè occidũtur, Martyrij laudem auferat; aliud de Alano & Perſonio figmenta quædam abſurdiſſima continet, quæ paulò poſt facillimè liquidiſſimèq. diluentur. Sectionis ſumma.

251 Ac primò quidem manifeſtiſſimè progenitores ſuos, perſequutores hæreticos & apoſtatas antiquiſſimos, Caluiniani iſti Anglicani imitantur, quorum proprium ſemper fuit, Catholicorum à ſe interfectorum gloriæ inuidere, ita vt quos ex malitia occidebant, eorum tamen occiſionis cauſam ex inuidia occultare & diſſimulare niterentur. Ita Diuus Hilarius de Conſtante Imperatore Arriano, Antiquorũ perſequutorum mos. *Hil. l. in Conſt.*

quem

quem inde perſecutorem fallentem, ipſis Nerone & Decio atrociorem appellat. Idemq. teſtatur ſanctiſſimus Nazianzenus de Iuliano Apoſtata his verbis. Fu-
Naz. ora. 1. in Iulian. rebat, inquit, aduerſus nos nefandus Imperator, ac ne eos honores qui Martyribus haberi ſolent, conſequeremur (hos enim Chriſtianis inuidebat) primum illius artificium hoc fuit, vt qui Chriſti cauſa patiebantur, tamquam ſontes & facinoroſi cruciatu afficerentur. Et alio deinde opere. Hoc, inquit, molitur Apoſtata, vt vim afferat, & afferre non videatur, nos ſupplicia perferamus, & eo interim honore, qui pro Chriſti nomine patientibus haberi ſolet, careamus. ò ſingularem hominis ſtultitiam. hæc Nazianzenus.

Stultitia perſecutorum in diſſimulando.

252 Et certè mirabitur fortaſſe quiſpiã quare vir prudentiſſimus doctiſſimuſq. Gregorius, magis hanc ſtultitiam Iuliani, quàm malitiam, quàm impietatẽ, quàm acúmen appellet. Certum enim mihi videtur, ex ingenioſa quadam fraude &

calliditate Apoſtatam hoc feciſſe. Sed vt intelligatur, quàm verè Apoſtolus prudentiam carnis inſipientiam dixerit, voluit vir Dei altiſſimam Iuliani ſagacitatem, qua cæteris eminere perſecutoribus ingenij laude putabat, ſingularem hominis ſtultitiam vocare, qua non tantum coram Deo & Angelis, ſed hominum etiam in oculis ridiculus planè fieret. Quid enim ineptius aut contemptibilius, aut magis ridiculum, quàm Principem aliquem aut magiſtratum, quæ publicè facit, & in media hominũ luce, ea velle occultare, aut leuiſſimo quodam verborum fuco inuertere? Quis ignorabat Chriſtianos olim, Iuliani iuſſu occiſos, ideo paſſos, quòd Chriſtiani eſſent, cùm alioquin honoribus ſummis abundare potuiſſent? Quis neſcit hodie Catholicos ab Elizabetha Cecilioque ideo interfici, quod Catholici ſint, cùm libertas præmiaq. copioſe offerantur, ſi hæretici eſſe vellent? vt quid ergo occultauit ille?

1. Cor. 1.

cur pernegant iſti? vt ſtultitiam vtrique prodant ſuam, vt duplicis infamiæ ignominiam incurrant, impietatis in occidendo, impudentiæ in diſſimulando.

Duplex martyrum gloria.

253 Illud etiam clariſſime hanc ſtultitiam coarguit, quod dum obſcurare martyrum gloriam perſecutores hac fraude cogitant, illuſtriorem multo celebrioremq. reddunt; quod prædixiſſe Spiritus ſanctus longè ante videtur, cùm de iuſti morte ſcriptum reliquerit. In fraude circumuenientium affuit ei Dominus, & honeſtum fecit illum; tamquam nimirum honoratiorem ex hac fraude effecerit. Et paulò poſt adhuc clarius addit; & mēdaces oſtendit qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam; inde ſcilicet dedit illi Deus æternam claritatem, vnde maculas perſequutor aſpergere cogitabat.

Sapien. 10.

254 Hanc tamen ſtultitiam tàm effœtam & languidam exercere voluerunt ſummo aſtu & conatu temporibus noſtris

perſe-

perſequutores Anglicani, vt quos ob religionem Catholicam manifeſtiſſimè occidunt, eos nihil pati ob religionem impudentiſſimè affirment; hocq. non ſolum multis Reginæ Edictis frequentiſſimè aſſeritur, ſed ſpeciali etiam libro hac de re edito (cui iuſtitiæ Britannicæ inſcriptionem impoſuerunt, eiuſq. authorem Cecilium omnes putant) perridiculè ſanè res defenditur. Cui cùm ità doctè, grauiter, ſolidèq. reſponderit nõnullis ab hinc annis Illuſtriſſimus Cardinalis Alanus, & mendacia manifeſtiſſima ita præclare exagitauerit, vt ipſi etiam hæretici Anglicani exiſtimarent, authorem libri veritate victum & pudore oppreſſum, numquã iterum eius rei mentionem facere auſurum; quia tamen modò contrarium experior, & in eandem iterum incidiſſe Cecilium cantilenam video; faciam profectò hoc loco, vt iſtum etiam ſtultitiæ ſuæ fructum ferat, vt hominum opinor omnium, quos terra genuit, impuden-

Liber Cecilij de iuſtitia Britannica.

Lib. ad perſequutores Anglos.

tiſſimum Chriſtianus eum orbis agnoſcat.

Nullum pati ob religionem in Anglia impudẽter aſſeritur.

255 Quod vt magis perſpicuum fiat, memoria tenendum eſt, quod huius ſectionis initio dicit Edictum (cuius ipſe Cecilius ſcriba & artifex fuit) ob nullum ſcilicet omninò religionis articulum, Catholicos hodie in Anglia plecti. quid clarius? quid diſtinctius? quid aſſeuerantius dici potuit? Idipſum tamen latius & articulatius aſſeritur libro iam à me citato, de iuſtitia Britannica, quem vel ab ipſo vt dixi, Cecilio, vel eius ſaltem iuſſu & authoritate ſcriptum, editumque, & in varias poſteà linguas traductum omnes ferè pro certo habent.

Iuſtitiæ Britan. initio.

256 Huius libri inſtitutum eſt vt in frontiſpitio dicitur: Perſpicue demonſtrare,
» propter religionem & ceremonias Ro-
» manas, neminem in capitis diſcrimen in
» Anglia vocari, licet ab aduerſarijs, ſecus
» modo & admodum malitioſè publicetur. Deinde paucis interiectis paginis

affirmat:

affirmat: Neminem in Anglia ob contrarias opiniones in religione vexari, aut vllis læſæ maieſtatis criminibus inuolui, neque vllius conſcientiam ob contrarias opiniones vrgeri aut inquiri ſolitum. Et iterum paulò poſt. Nulla fit, inquit, conſcientiæ Catholicorum inquiſitio, vt hac ratione in periculum legum criminalium inducantur; ita vt nemo hactenus in capitis diſcrimen religionis gratia adductus ſit, quin omnes, quamdiu per naturæ leges licuit, vſura vitæ liberrimè fruebantur. Et adhuc amplius adductis exẽplis. Perſpicuum eſt, inquit, multos laici ordinis, ad Pontificias partes attractos eſſe, cùm eorum tamen nemo vel capitis, vel patrimonij, vel fortunarum periculum vllum adierit. Pag. 22.

257 Vides (Chriſtiane lector) quàm cõfidenter, ac conſtanter hæc aſſeueret Cecilius. Si autem petas, quid ergo tanta ſibi vult hominum Catholicorum & Sacerdotum mactatio, quanta indies ferè

ex An-

Pag. 11. ex Anglia auditur, facilè rem diluit his
» verbis. Accuſantur, inquit, hi non reli-
» gionis, non conſcientiæ, non Pontificiæ
» monarchiæ (quod magis crebro tamen
» quàm verè fertur) ſed læſæ maieſtatis,
Pag. 63. & 68. » atque impiæ proditionis. Et alio loco,
» iſtos fecerunt reos non volumina, non li-
» belli, non precum formæ, non feriæ, non
» Eccleſiæ Romanæ ceremoniæ. Cenſean-
» tur quocumque libuerit nomine, vel ſcho
» laſtici, vel Seminarij, vel Sacerdotes, vel
» Ieſuitæ, vel Pontificij, de eo certamen
» nullum eſt. Nihil enim illis vel nomen,
» vel veſtis obſuit, ſed tantùm quòd ple-
» bem ad ſeditionem incitarint. Et demum
Pag. 32. & 34. alio in loco de martyribus recenter oc-
» ciſis verba faciens: Perſpicue, inquit, in-
» telligi poteſt, ſi excutiantur crimina, & iu
» dicia eorum, qui nuper mortui ſunt, &
» iure cæſi, non eos cultus diuini, ceremo-
» niarum, aut religionis reos factos eſſe;
» planum, inquam, eſt, hæc à Principe nu-
» per geſta, nec ob religionem, nec ob Pon-

tificiam

tificiam Monarchiam, cùm iam inde ab ,,
ipſo maieſtatis ſuæ aditu in Regnum his ,,
de cauſis nemo ſit mortuus,ſed ob fœdiſ- ,,
ſima læſæ maieſtatis proditioniſq. crimi- ,,
na. hæc ille citrà omnem ſanè verecundiam, mendaciſſimè.

258 Quod vt manifeſtius oſtendamus, ad duo genera hominum reducetur confutatio. primum erit de laicis, quos omnino pernegat Cecilius periculum vllum in Anglia hactenus adijſſe ſiue vitæ, ſiue patrimonij, ſiue fortunarum, ob religionem Romanam. Aliud erit de Sacerdotibus,quos cæſos quidem fatetur,ſed nullo tamen modo ob religionem. Vtrumque ego mendaciſſimum oſtendam. Et quia mihi cùm aduerſario tàm proiectæ audaciæ agendum eſt, nullis vtar in hac re teſtimonijs,præterquam ipſorum hæreticorum, vel actorum publicorum Angliæ.

De laicis afflictis & occiſis.

259 Incipiam igitur ab ipſius Reginæ verbis in quodam ſtatuto ſuo vniuerſalis

indulgentiæ, quam (pro more) poſt finita comitia parlamentaria anno Regni ſui vigeſimo tertio, ſontibus omnibus conceſſit, præterquam ob religionem Catholicam detentis, his verbis. Cauetur

Statutum parlamenti anno 1581. 23. regni Elizabethę

„ autem, ne hæc conceſſio generalis remiſ-
„ ſionis & veniæ extendi poſſit vllo modo
„ in fauorem alicuius perſonæ, quæ hoc vl-
„ timo die præſentis ſeſſionis parlamenta-
„ ris, tenetur carceribus, vel alia quacum-
„ que ſpeciali cuſtodia detinetur, ob perti-
„ naciam, qua recuſant adire Eccleſias no-
„ ſtras, ac diuinis intereſſe officijs, aut pro-
„ pter vllam aliam rem, aut cauſam perti-
„ nētem ad dictam eorum obſtinatiſſimam
„ pertinaciam, in negotio noſtræ religio-
„ nis, quæ iam legitimè in hoc Regno ſta-
„ bilita eſt. Vnde decernimus, vt ſingulæ
„ iſtiuſmodi perſonæ, quæ his de cauſis li-
„ bertate priuātur, intelligantur exceptæ ab
„ omni beneficio huius vniuerſalis gratiæ,
„ veniæ, & remiſſionis, quādiu in dicta ſua
„ pertinacia & inobedientia permanſerint.

Obteſtor

260 Obteſtor lectorem, vt perpendat quanta Cecilij mendacia, hoc vno ſtatuto, cuius ipſe etiam auctor & ſuaſor fuit, reuincantur. hic enim aſſeritur, teneri homines carceribus, & ſpeciali cuſtodia, libertate etiam priuari ob id quod Eccleſias Caluinianorum adire recuſant, quod religionis eſſe negotium, ſtatutum ipſum concedit; cauetur etiam, ne iſtiuſmodi homines remiſſionis vniuerſalis, quæ cæteris reis ac ſontibus indulgetur, beneficium participent; quod euidentiſſimè demonſtrat Catholicos in Anglia, non ſolum ob religionem caſtigari (quod ſupra iam toties Cecilius negauit) ſed ſeuerius etiam caſtigari quàm cæteros delinquentes, cùm excipiantur nominatim & excludantur ab eius indulgētiæ beneficio, quæ cæteris communis eſt. Immo huius ipſius Edicti clauſula, quam modo præ manibus habemus (ſibi ipſi licet contraria, vtpotè à Cecilio profecta) hoc ipſum tamen conuincit. Dicit enim, multos eſſe

Contradictiones Cecilij.

Sup. in Sect. 4.

in Regno Angliæ locupletes viros religionem contrariam Reginæ profitentes, qui tamen neque vita, neque poſſeſſionibus, neque bonis, neque libertate plectuntur, ſed tantum vt ſoluant ſummam quandam pecuniariam, tamquam pænam pro tempore, quo Eccleſias frequentare recuſant, ex quibus verbis infertur, ſi iſti ſummas pecuniarias ſoluunt in pœnam, ergo plectuntur, ſi pecunijs mulctantur, ergo bonis minuuntur, ſi tenentur carceribus & cuſtodijs, ſi libertate priuatur, vt ipſius Reginæ ſtatuto iam citato conteſtatum eſt, quomodo hoc Reginæ Edicto, eiuſdem Reginæ ſtatuto contrario, quomodo Cecilij libro de iuſtitia Britannica inſcripto aſſeritur quod modo vidimus, quòd neque poſſeſſionibus, neque bonis, neque libertate plectuntur? quomodo quòd neque patrimonij, neque fortunarum periculum vllum adeunt?

Statutũ Reginæ Edicto contrarium.

261 Sed aliam adhuc fraudem animaduertite, non exprimit Cecilius quanta ſit

pecuniæ ſumma, quam quiſque in Anglia ſoluere cogitur, ſi Eccleſias Caluiniſtarum adire recuſet. nollet enim, credo, niſi inuitus, hanc tantam tyrannidem externis hominibus cognitam eſſe. Nam neque Turca, opinor, neque Perſa, neque Arabs, Maurus, aut Scytha iſtiuſmodi vnquam tributum à ſubditis ſuis, ob religionis tantum diſcrimen, exegit. Vnuſquiſque enim Catholicus, cuiuſcunque ſit ſexus, ſtatus, conditionis, vel ordinis, nemine dempto, nullo excepto, ſi decimum ſextum ætatis annum exceſſerit, viginti libras Anglicanas, quæ ſexaginta & ſex aureos Gallicos ſuperant, dependere cogitur in ſingulos menſes, ob hoc tantum delictum, quod Hæreticorum Eccleſias frequentare detrectet.

Summu pecuniæ quã Catholici vnoquoque menſe ſoluunt.

262 Præterea ſubticet Cecilius, hos ipſos, qui has pœnas pecuniarias ſoluunt, nulla deinde alia in re tutos eſſe aut ſecuros, vt pro conſcientia ac iudicio ſuo, Deum colant more Catholico. Si enim

Alia crudelitas.

poſtquam hanc ſummam dependerint, Miſſam verbi gratia audierint, alia inſuper pœna plectuntur. Si peccata ſua Sacerdoti confiteantur, crimen læſæ maieſtatis eſt. & ſic de cæteris religionis articulis, quorum cuique pœna ſua conſtituta eſt. hoc autem vectigal viginti librarum, pro vnoquoque menſe, vnius tãtum delicti pœna eſt, quo quis abſtinet ab illorũ Eccleſijs, quam tamen qui ſoluit, non inde liber eſt, ſed carceribus etiã vtplurimum retinetur, & reliqua eius bona direptioni patent; quod infinitorum prope virorum, ac fœminarum nobilium numero, ac nominibus confirmari poteſt, qui plurimis iam annis, cuſtodijs, carceribus, vinculiſq. detinentur, etiamſi pœnam hanc pecuniariam quoque ſoluant. quod impudentiæ Cecilianæ liquidiſſimum eſt argumentum.

263 Aliud exemplum ex publicis Regni annalibus deſumam. Holinſedus enim hæreticus perditiſſimus, anno 1574. ſuæ

Chronicæ,hæc verba habet. Anno Reginæ 16. Aprilis. 4. Dominica palmarum Londini comprehenſæ fuerunt tres illuſtres fœminæ, dùm in ædibus ſuis Miſſæ celebrandæ intereſſent: Baronis, nimirum,Morlæi vxor,cùm liberis ſuis,& multis alijs, & in altera ciuitatis parte eadem ipſa hora deprehenſa eſt equitis aurati vidua Guilforda,cùm alijs multis fœminis inſignioribus, eodemq. momento capta eſt in parte diuerſa alterius equitis vxor Bruna nomine,cùm alijs item in eius domo permultis,quæ omnes propter hoc idem delictum carceri traditæ fuerunt,& inde accuſatæ, cõuictæ, & iuxta formam legis condemnatæ.

Fœminæ nobiles cõdẽnatæ de audita Miſſa.

264 Hæc hæreticus Holinſedus contrà mendacem Cecilium; hinc enim patet has fœminas nobiles,& illuſtres, cõquiſitas fuiſſe, & per inſidias domi deprehenſas, dùm clam intereſſent celebrationi Miſſæ; quomodo igitur verum eſt, quod antè Cecilius tam definitè affirmaue-

rat

rat, nullam fieri Catholicorum inquiſitionem, nec cuiuſquam conſcientiam ob contrarias in religione opiniones vrgeri, aut inquiri ſolitam? hinc etiā cernimus, heroinas iſtas cùm alijs plurimis inſignioribus fœminis, ob auditam tantummodo Miſſam, domibus ſuis extractas, carceribus traditas, accuſatas, conuictas, & ad impijſſimi cuiuſdam ſtatuti formam condemnatas fuiſſe, quo ſtatuto decernitur, vt prima conuictio de audita Miſſa, pœnam habeat centum marcarum, ſecunda verò quadringētarum (quæ octingentorum aureorum Gallicorum ſummam ſuperant.) tertia demum, perpetuorum carcerum, & omnium bonorum amiſſionis pœna caſtigetur. Quo ore igitur ſcribit Cecilius, neminem in Anglia ob contrarias in religione opiniones vexari? quo pudore aſſeuerat hoc præſens, quod impugnamus Reginæ Edictum, ob nullum omninò Religionis articulum Catholicos hodie in Anglia plecti? qua impudentia

Pœna in Anglia ob Miſſam auditam.

profi-

profitetur iuſtitia Britannica, neminem laici ordinis ob partes Pontificias, vel capitis, vel patrimonij, vel fortunarum periculum vllum adire?

265 De patrimoniorum enim & fortunarum periculis ac detrimentis maximis ob religionem aditis, fidem faciunt, quæ modo à me producta fuerunt, actorum publicorum ipſis etiam referentibus hæreticis teſtimonia. Et quando iſta non extarent, extant tamen infinitorum prope laicorum vtriuſque ſexus examina, qui carceribus hodie in Anglia detinentur, & bonorum amiſſione, rapinis, & diſtractione quotidie ob religionis negotium exercētur, quibus deſperatiſſimum Cecilij mendacium euidentiſſimè coarguitur.

266 De mortis verò ſupplicio laicis plurimis religionis cauſa illato, tot ſunt contra Reginam & Ceciliũ teſtimonia, quot extant in oculis omnium præclariſſima quoque huius ordinis martyria; quorum Laicorum martyria.

cauſas

cauſas veriſſimas fuiſſe, religionis ardorē conſtantiamque, ex ipſis quoque actis publicis, contrà iſtam Cecilij & Elizabethæ puerilem diſſimulationem confirmari poteſt. Quid enim (vt ex mea paucorum annorū experientia memoriaq. nonnulla repetam) quid, inquam, cauſæ fuit, cur annis abhinc plus minus quatuordecim, iuuenem præclarum Thomam Sherodum, poſt ſex menſium carceres, catenas, famem, nuditatē, & frequentia equuleorum in caſtro Londinenſi tormenta, in ligno tādem ſuſpendiſtis? Quid criminis, inquam, quid delicti acta veſtra publica iuueni huic imponunt? nihil planè. niſi quod per iudices veſtros preſſius interrogatus, Romani Pontificis in rebus Eccleſiaſticis primatum confeſſus eſt. nam iſte neque Anglia vnquam egreſſus fuerat, neque in Seminarijs tranſmarinis educatus, neque Romæ viſus, neque authoritate Pontificia ordinatus, vel in Angliam miſſus, aut domi cùm Semina-

Tho. Sherodus martyr 2. Feb. 1578.

riſtis aut Ieſuitis verſatus, aut quicquam aliud earum rerum fecit, aut facere potuit, quas vos hodie ad ſeditionem pertinere clamatis, quarumq. cauſa tantummodo vos occidere Catholicos affirmatis.

267 Eiuſdem planè generis eſt, quòd eòdem ferè tempore, eodemq. in Caſtro Londinenſi alteri iuueni laico, cui nomen Coperus, Martyrium contigit, nullo alio obiecto ei crimine, quàm quòd ex itinere retractus fuiſſet, quò in Galliam ad Seminarium Rhemenſe proficiſci ſtatuerat. præterea Marci Tipeti propè pueri pœnam, ob idem delictum toleratam, cui ferro nimirum candente auriculæ perforatæ fuerunt, & vtræque Roulando Iinkſio bibliopolæ abſciſſæ, eò quòd verbum vnum vel alterum in religionis Catholicæ defenſionem protuliſſet. Valengerus quoque laicus nobilis ſimili de cauſa vtramque paulò poſt auriculam in pœnā religionis Catholicæ defenſæ amiſit.

Coperus martyr.

Tipetus.

Iinkſius.

Valengerus.

Interiecto deinde vno vel altero anno, anno 1583. præclariſſimi doctiq. adoleſcentes Ioannes Bodæus, & Ioannes Sladus extremo ſupplicio affecti fuerunt, alter Vintoniæ, alter Andouerij, at qua de cauſa? extat adhuc veſtrorum iudicum ſententia ſcripto mandata, qua mortis condemnantur, eò quòd Pontificiam Reginæ poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis non concederent. an non hoc quoque ad religionem pertinet?

Bodæus & Sladus martyres laici.

anno 1584. 268. Anno deindè ſequente Guilielmus Carterus Londini, & Richardus Vitus in Vuallia, poſt carceres & cruciatus, in crucem per vos acti ſunt, alter quòd librum quendam Catholicum imprimendum curaſſet; alter quòd peccata ſua Sacerdoti aperuiſſet. Num hoc etiam religionis negotium vobis videtur?

Carterus & Vitus martyres.

anno 1585. 269 Quæro prætereà de Thoma Vueblero, quem ideò condemnaſtis, quòd librum Catholicum apud ſe haberet, de Marmaduco Bou, cui crimen fuit cuiuſ-

Vueblerus. Bous.

dam

dam Sacerdotis conſortium frequentaſ-ſe. Quæro de Margarita Mideltonia fœmina lectiſſima, quam vos Eboraci ob hoſpitium Sacerdoti Catholico præſtitum, medio foro, horrendo planè & inuſitato ſupplicij genere (ponderum nimirum preſſuris) interemiſtis. quæro deindè de multis ſimul laicis, quos vno eodemq. die in idem patibulum impijſſimè coniecíſtis, de Moro nimirum, de Feltono, de Suttono, de Martino, de Fluddo, de Sheleio, de Vuebleio, de Simonio, de Margarita etiam Vuarda, ſanctiſſima Dei martyre (nam vnà omnes hi paſſi ſunt Londini, vix quarto adhuc elapſo anno) de his omnibus, inquam, multiſq. alijs, quos breuitatis cauſa prætermitto, quærendum mihi abs Cecilio videtur, laicine fuerint, & an alia de cauſa, quam de qua dixi necati: & cùm negare non poſſit, quod acta publica confirmant, fateatur neceſſe eſt, liquidiſſimum eſſe mendacium, quod ante toties iam repetijt, neminem laici or-

Mideltonia.

1588. Multi ſimul martyres laici.

dinis quidquam detrimenti ob religionem Catholicam in Anglia ſuſtinuiſſe.

De Sacerdotibus occiſis.

270 De Sacerdotibus verò, etiamſi rei euidentia victus concedat quidem Cecilius, non paucos extremo ſupplicio affectos eſſe; in eo tamen nõ minus perfrictæ frontis quàm in cæteris eſſe voluit, quòd neget religionis cauſa hoc eis fieri. Audiſtis enim iam hominis facundiam, & frõtem in pernegando. Accuſantur, inquit, hi non religionis, non conſcientiæ, non pontificiæ Monarchiæ. Et iterum: Iſtos fecerunt reos non volumina, non libelli, non precum formulæ, non Eccleſiæ Romanæ ceremoniæ, cenſeantur quocumque libuerit nomine, vel ſcholaſtici, vel Seminarij, vel Sacerdotes, vel Ieſuitæ, &c. & tamen iam vidimus ex laicis multos ob religionis & conſcientiæ negotium, bonorum amiſſione promiſcue caſtigatos; alios ob Monarchiam Pontificiam interfectos; nonnullos ob libros Catholicos ab ipſis lectos morti condẽnatos; omnes

Supra ex lib. de iuſt. Britan.

denique

denique, qui in Seminarijs tranſmarinis educantur, ſiue illi ſcholaſtici, ſiue Sacerdotes, ſiue Ieſuitæ ſint, edictis varijs Reginæ, & ſtatutis item Comitialibus, vidimus iam hoſtes patriæ declaratos, & læſæ maieſtatis reos factos; præſertim edicto Reginæ edito ad diem 15. Iulij anni 1580. alijs item duobus edictis promulgatis die 10. Ianuarij, & 1. Aprilis, anni 1581, lege præterea parlamentari, 1. Martij publicata, anni 1583. hæcq. cùm ita ſint, quomodo tamen affirmat Cecilius, nihil hoc eis nocere ſiue ſcholaſtici, ſiue Seminarij, ſiue Sacerdotes, ſiue Ieſuitæ ſint?

271 Deindè ſcriptum reperio apud Stoum in annalibus Angliæ, ipſius Reginæ priuilegio approbatis, hæc verba. Anno Reginæ 20. Nouembris vero 30. Cutbertus Maynus (Sacerdos, & Theologiæ licentiatus) ad patibulum pertractus, ſuſpenſus, & in quatuor partes diſſectus fuit in oppido Launceſtonij Comitatus

Maynus Nelſonus & Sherodus, ob Pōtificiā Monarchiam occiſi.

Cornu-

Cornubienſis, eò quòd poteſtatem Eccleſiaſticam Romanam anteferret Regiæ. Et in eadem deinde pagina iterum. Tertio,inquit,Februarij,primo ſtatim diluculo, Ioannes Nelſonus Sacerdos, ob negatum Reginæ primatum Eccleſiaſticum & alia iſtiuſmodi proditoria contrà ſuam maieſtatem verba, è carcere Neugat, ad locum ſupplicij tractus eſt, ſuſpenſus,exenteratus,& in partes diſſectus. Et ſeptimo die eiuſdē menſis Sherodus quidam ob eiuſmodi planè læſæ maieſtatis crimen, è Caſtro Londinenſi ad patibulum pertractus eodem mortis genere vitā finijt. Hæc ita ſcripta & impreſſa,& per vniuerſam Angliā euulgata cùm ſint, iudicēt modò omnes,quodnam os Cecilio eſſe debeat,qui tam aſſeueranter ſcribat, neminem ob Pontificiam Monarchiam in Anglia accuſari, vt anteà docuimus. Item illud,perſpicuè, inquit, intelligi poteſt, ſi excutiantur crimina & iudicia eorum,qui nuper mortui ſunt, & iure cæſi,

non eos ob religionem aut Pontificiam „
Monarchiam reos factos eſſe, cùm iam „
inde ab ipſo maieſtatis ſuæ aditu in Re- „
gnum, his de cauſis nemo ſit mortuus. „
Quis vnquam tàm proiectè eſt men-
titus?

272 Sed vt hominis impudentiam in re aliqua particulari liquidius adhuc intueamur, audiamus quid ſcribat de Nicolao Hetho, quem Maria Regina moriens Archiepiſcopum Eboracēſem, & ſummum totius Regni Cancellarium reliquit. De quo iſte, vt Elizabethæ eum lenitatis exēplum ſtatuat, ſic ſcribit, verſutiſſime hominem dilaudans, his verbis. Hic, inquit, „
illuſtre modeſtiæ, prudentiæq; exemplum „
vnàq; excellenter eruditus, demortua Re- „
gina Maria, antiquos magiſtratus, gratiā, „
opes, & quidquid habuit prætereà for- „
tuiti boni, cùm ſummo principis fauore „
retinuit, licèt prorſus ab illa in religione „
diſſentiens. Nec ob id tamen vel honore „
vel fortunis comminutus eſt; qui tamen „

Os durum Cecilij.

per-

„ perexiguo poſt tẽpore magiſtratus ſuos
„ omnes, obſeruanter, & gratè depoſuit,
„ nulla iniecta foris vi, quo nihil eſt clarius,
„ ſed ſua ſpontè, maximèq. liberè, vt cun-
ctis innoteſcit. hæc liber iuſtitiæ Britan-
nicæ de Nicolao Hetho, vt aſtruat Regi-
næ clementiam in tractandis Catholicis.

An. 1556. Eccleſiaſtici beneficijs exuti.

273 Sed quid contrà hæc annales An-
glici ab hæreticis ipſis editi? Primo anno
Reginæ (inquiunt Holinſedus, & Stous)
„ menſe Iulio Nicolaus Hethus Archiepi-
„ ſcopus Eboracenſis, Epiſcopi itẽm Eliẽ-
„ ſis, & Londinenſis, & alij tredecim vel
„ quatuordecim, ſimul iuſſi comparere co-
„ ram Reginæ Conſiliarijs, eò quòd recu-
„ ſarent accipere iuſiurandum de maieſta-
„ tis ſuæ primatu Eccleſiaſtico, & de alijs
„ religionis articulis, Epiſcopatibus ſuis pri
„ uati fuerunt, quòd multis etiam Decanis,
„ Archidiaconis, Rectoribus, Vicarijs, alijſ-
„ que Eccleſiaſticis factum eſt, qui benefi-
„ cijs ſuis exuti, diuerſis carceribus traditi
„ fuerunt, hæc illi. at quid his magis con-

trarium quàm quod Cecilius ſuprà dixit:
Nicolaum Hethum ob religionem, ne- „
que honore, neque fortunis fuiſſe com- „
minutum, obſeruanter & gratè, magi- „
ſtratus ſuos depoſuiſſe, ſua ſpontè, maxi- „
mèq. liberè, nulla iniecta foris vi, hocq. „
eſſe clariſſimum, omnibuſq. notum? „

274 Sed in eo tamen perſtat Cecilius, & hoc ipſum, Reginæ hoc Edicto conſtantiſſimè aſſeueratur, mortem Sacerdotibus non infligi, niſi ob proditiones & læſæ maieſtatis crimina, quod ex eo (in- „
quit) manifeſtè cernitur, quòd in proceſ- „
ſibus criminalibus, qui contrà iſtos fiunt, „
non accuſantur, neque condemnantur, „
neque morti traduntur ob aliud, quàm „
ob ſupremæ maieſtatis læſæ crimen, affir- „
mantes, inter cætera, quòd ſi Papa cõtrà „
nos, & religionem noſtram exercitum ali „
quem mitteret, ipſi ei adhærerent, & à „
partibus illius ſtarent. „

275 Duæ ſunt huius aſſertionis partes; prima quòd Sacerdotes in iudicijs non

Si Sacerdotes cõdemnantur de læſa maieſtate.

condemnantur, niſi ſupremæ maieſtatis læſæ, quod non negamus quidem, ſi de nomine ſit quæſtiò, ſi verò de rei veritate quærimus, calumnia tantùm eſt, & nugax fallacia. Nam cùm reconciliare ſe quempiam Eccleſiæ Catholicæ, vel peccata ſua Sacerdoti confiteri, vel authoritatem Eccleſiaſticam ſupremi Pontificis agnoſcere, vel religionem Catholicam alteri perſuadere, vel Sacerdotem ſe fateri, vel alterum qui Presbyter eſt, domi ſuæ recipere, vel non accuſare & prodere, & aliæ plurimæ religionis Catholicæ actiones piæ, ſtatutis legibuſq. Anglicanis factæ ſint ſupremæ ſcilicet maieſtatis læſæ crimina (arrogantiſſimum profectò hæreticorum verbum, nec ab vllis vnquam Catholicis Principibus vſurpatum, vt Elizabethæ ſupremam appellent maieſtatem, tanquam ſi ne Deo quidem inferior eſſe vellet) quàm ridiculum eſt in vocis ludere inuolucro, & toties pernegare, religionis cauſa occidi martyres, ſed

tantùm ob proditiones,& læſam maieſtatem, cùm apud vos & proditio, & maieſtatis Regiæ læſio, contrà iſtiuſmodi Dei ſeruos ex ſolis religionis actionibus æſtimetur?

276 Quòd de iudicijs verò & proceſſibus criminalibus Edictum interſerit; vtinam quidem illa fierent inſpectante orbe,vt & hæreticorum crudelitatis,& Catholicorum innocentiæ, teſtis eſſet vniuerſi mundi theatrum. Nunquam enim extitiſſe puto apud gentē vllam,quæ legibus ac ratione vtatur, tantam iniuſtitiæ, & iniquitatis licentiam, quanta hodie in Anglia contrà Dei ſeruos, iudiciorum etiam nomine exercetur. Commemorat quidem Euſebius ex Gallorum Lugdunenſium Epiſtola, qui ſub Antonino vero Antonini Pij Imperatoris filio,ob Chriſti confeſſionem martyrium patiebantur, quiddam egregium hoc in genere Lugduni contigiſſe. Nam cùm præſes, qui Chriſtianorum cauſis audiendis præerat,

Iudiciorũ in Anglia iniquitas.

Euſeb.lib.5. hiſt. cap.1. anno Dom. 170.

temerè planè, & iniurioſè in martyres quoſdam pronunciaſſet, vir quidam illuſtris, cui nomen erat Vetius Epagathus, rei indignitatem non ferens, clariſſima voce petijt à iudice, vt poteſtas ſibi daretur, liberè in illo conſeſſu, pro fratribus reſpondendi. Qua re etſi aliud non effecit, quàm vt ipſe quoque martyr cùm cæteris fieret; eam tamē gloriam etiam apud homines conſequutus eſt, vt præclariſſimus martyrum aduocatus ſemper deinceps ſit appellatus. Nec dubito ſanè, quin ſi Vetij iſtius nobiliſſima virtus, & fortitudo, tàm eſſet in Anglis, quàm eſt mali conſcientia, & iniquitatis, quæ exercetur, intelligentia; multi fierent quotidie ex ipſis etiam hæreticis moderatoribus, Catholicorum ad tribunalia aduocati, cùm in ijs condemnandis, omnem legum ſuarū authoritatē violari cernant, & non ex vlla cauſæ æquitate, ſed ex immenſo tantum perſonarum odio ſententias indies pronunciari audiant.

277 Quod vt vnius tantum iudicij exẽplo demonſtrem, ſciendum eſt, anno Domini 1581. Elizabethæ vero Regni 23. cùm Reginæ Conſiliarij ad illum vſque diem, Catholicos ferè religionis nomine, non obſcurè, neque diſſimulanter occidiſſent, vt ex actis publicis iudiciorũ patet, quibus Thomam Vuodoſium, Cutbertum Maynum, Ioannem Nelſonum, Euerardum Hanſium presbyteros, Guilielmum Cartarum, Thomam Nelſonũ, aliosq. laicos ob fidei confeſſionem manifeſto martyrio affeciſſent, nulla alia adhibita accuſatione, quàm quòd vel Pontificiam Papæ authoritatem agnouiſſent, vel Reginæ in cauſis Eccleſiaſticis negauiſſent, vel aliquid aliud in cauſæ Catholicæ propugnationem protuliſſent: nunc tamen perſpecto Catholicorum incremento, & Anglicani populi in eam partem propenſione; alia ſibi via progrediẽdum eſſe exiſtimarunt, vt cauſam hanc magis odioſam vulgo redderent, prodi-

Nequiſſima aſtutia.

Martyres.

tionum nimirum & conſpirationum iniecta ſuſpicione.

278 Itaque cùm multos Sacerdotes aliosq. Catholicos per id tempus comprehendiſſent, quatuordecim ſimul vno eodemq. die, ad idem ipſum iudicium ac tribunal producunt, & publicè de conſpirationibus in rempublicam, & cùm externis Principibus, & de mortis Reginæ machinatione, adhibito etiam certo die, (pro forma iudicij Anglicani obſeruanda) locisq. definitis, in quibus conſpiratũ eſſe diceretur, accuſant. Ad quam actionem, cùm pro rei nouitate infinita prope hominum multitudo cõfluxiſſet, Ioannes Popamus Reginæ procurator, homo ferus & audax, & hæretico planè furore præceps, declamauit pro roſtris inuidioſiſſimè per diem ferè integram, in hos Dei ſeruos, odium illis vndecunque, conuitijs, mendacijs, exaggerationibus conflans; nunc Reginæ felicem gubernationem dilaudans, & bona quæ inde mana-

Iudicium illuſtre 14. martyrum.

Ioannes Popamus.

bant

bant amplificans, quibus Angliam penitus ſpoliare velle affirmabat, qui maieſtati ſuæ ex animo non fauebant; nunc verò proditionum, conſpirationum, & aliorum iſtiuſmodi ſcelerum fœditatem in vniuerſum demonſtrans, quantaq. indè mala reipub. eueniant, abſque eo tamen vt quidquam horum criminum de vllo eorum particulatim oſtenderet, qui ad illud tribunal accuſabantur.

279 Cumq. his ineptijs tempus tereret, diemq. extraheret, & à reis ſæpiſſimè ſuppliciterq. peteretur, vt aliquid tandem afferret, quod ad ipſos pertineret; tranſijt demum ad aliorum hominum facta, ad Comitum nimirum Northumberlani, ac Vueſtmerlani aliquorumq. nobilium arma ſumpta pro religione Catholica multis antè annis in parte boreali Angliæ, ad tumultus item Hybernorum, & ad Nicolai Sanderi ad illam inſulam profectionem, ad Pij quinti Pontificis Maximi declaratoriam contrà Elizabetham, aliaq.

Inſignis iudicij iniuſtitia.

huiuſ-

huiuſmodi, quibus omnibus cùm martyres reſponderent, nihil horum ad ipſos pertinere poſſe, cùm vel ipſis pueris, vel inſcijs, vel longè agentibus pleraque eorum gererentur, tandèm ad maiorem fucum faciendum, adoleſcentulum vnum vel alterum, miſerum, pauperem, perditum, vagabundum, qui Italiam Galliãq. mendicando percurriſſet in conſpectum hominum dedit, qui ab ipſo edoctus affirmaret, ſe aliquos horum Sacerdotum Romæ Rhemiſq. vidiſſe, & verba quædam minus verecunda, aut etiam iniurioſa in Reginam ex ipſis audiuiſſe. Quibus ſolis teſtimonijs ſententia mortis in omnes pariter prolata eſt, ſtupente & fremente vniuerſa hominum prudentiorum multitudine, ad tàm inſignem claramq. iniuſtiſſimorum iudicum perditiſſimam nequitiam.

280 Cum enim plerique condemnatorum, nunquam anteà ab illis teſtibus viſi fuiſſent, nec inuicem ſe mutuo antè illum

diem

diem,& illud tribunal aſpexiſſent, neque vnquam per litteras aut coram fuiſſent alter alterum alloquuti,cumq.alij eorum Romæ nunquam fuiſſent, vbi conſpiratum eſſe fingebatur, alij abeſſent longiſſime eo maxime tempore, quo factum aduerſarij cōminiſcebātur; cumq. teſtes, licet perditiſſimi,nihil tamen affirmatè dicerent,quod alicuius eſſet momenti ad id quod tractabatur, neque Popamus rem vllam afferret, quæ eorum quempiam particulatim attingeret, cætera verò omnia,quæ ad fallendum tempus garriebat, hac illacq. in ventos diffluerent,tanquam ſcopæ diſſolutæ, quæ nec locis, nec temporibus, nec perſonis, nec rebus ipſis cohærerent: omnes tamen vno eodemq. de crimine ad mortem condemnari, tàm abſurdum,impium,ac inſolens videbatur omnibus,vt nonnulli hæreticorum,& eorum quoque qui in ipſorum iudicū conſeſſu aſſidebant,aſperrimè hac de re tùm loquerentur, tùm etiàm quererentur.

Martyrium Campiani & ſociorũ.

281 Sed auxit deindè murmur populi, bonorumq. querelam, mors innocentiſſima trium martyrum clariſſimorum, Campiani nimirum, Sheruini & Brianti presbyterorum, qui paulò poſt hoc iniquiſſimũ iudicium martyrio affecti, publicè profeſſi ſunt, Dei maieſtate tremenda inuocata, & ſalutis æternæ diſpẽdio propoſito, ſe nunquam eorum conſcios fuiſſe, aut reos, quæ in iudicio iniquiſſime obijciebantur, neque exiſtimare ſe quenquam ſociorum ſuorum, qui vna ſecum damnati fuerant, quicquam eorum vel cogitaſſe, vel ſomniaſſe vnquam, ſed omnia eſſe luculenter conficta, ſeq. ea ſolum de cauſa in Angliam veniſſe, vt pacatè, apoſtolicèq. ſacerdotij ſui functionibus ad animarum ſalutem, ac ſolatium vterentur.

Noua aſtutia diabolica.

282 Quibus rebus cùm hominum animos non parum commoueri Reginæ Conſiliarij animaduerterent, alia ſtatim machina occurrendum eſſe iudicarunt. Itaque ad ſeptem alios Sacerdotes, quos

eodem

eodem iudicio condemnatos paulò poſt interfecturi erant (Fordum nimirum, Shertum, Ionſonum, Philbæum, Kirbæum, Richardſonum, atque Cotamum) ne eadem qua priores innocentia ſubire mortem viderentur, quatuor viros ex ſe delectos, & nihilo ſe meliores, Ioannem Popamum ſcilicet Reginæ procuratorem iam dictum, & Thomam Egertonum, eiuſdem Reginæ aduocatum, Dauidem etiam Ludouicum, & Ioannem Hamondum iuris ciuilis conſultos, cùm poteſtate & mandatis miſerunt, vt caperent illos in ſermone, & articulos quoſdam de poteſtate Pontificis in principibus hæreticis deponendis proponerent, quibus aliquo modo illaqueari poſſent. Quatuor Cōmiſſarij ſæuiſsimi.

283 Itaque omni conatu herodiani iſti, martyres Chriſti iam anteà condemnatos impellebant, vt ad hos articulos ſimpliciter reſpōderent, præcipuè verò quid ipſi agerent, alijſve ſuaderent faciēdum, ſi Pontifex aut alius aliquis Princeps, Pon- Interrogationes ſanguinariæ & reſpōſa pacifica.

tificis Romani ſuaſu, & authoritate bellum Angliæ inferret, ad religionem Catholicam reſtituendam, cuinam parti ipſi adhærerent, aut adhærendum cenſerent. Quibus è laqueis cùm multis ſe modis explicare Dei ſerui niterentur, quidam dixerunt, ſe iam condemnatos, mortis tantùm cogitationibus occupari, nec humanarum rerum curas amplius ſibi ſupereſſe; alij quòd hæc ad ſcholas pertinebant, & ad ea regna & vniuerſitates, vbi liberè ſententiæ dici poſſint, ſine principis, populiq. offenſione; alij illud ſe tantum his de rebus credere & affirmare in vniuerſum, quod docet Eccleſia Catholica Romana; alij quod tùm demum affirmatè dicerent, quid agerent, aut agendum ſuaderent, cùm caſus ille accideret, de quo interrogabantur; alij preſſius, & propius, ſe id acturos nimirum & ſuaſuros huiuſmodi tempore, quod viro bono & Catholico agere, ac ſuadere conueniret, alij denique, quòd ab omni parte, & armorum

genere abſtinerent, orarentq. tantummodo Deum, vt parti iuſtiori victoriam daret.

284 Hæc inquam & ſimilia cùm martyres reſponderent, vt rei inuidiam declinarent, hoſteſq. placarent; nihil tamen hirudinibus iſtis ſufficere potuit, quouſque aliquid tandem elicuiſſent, quô ſanguinem eorum ſecurius effunderent, & odium apud populum concitarent. Quod indè maxime fecerunt, quòd nonnullus eorum tandèm faſſus eſt, ſe partes Pontificis omnino ſequuturum, ſi religionis negotium apertè ageretur. quo accepto reſponſo, carnifices, tanquam cauſa iam legitime probata, viros innocẽtiſſimos ſummis opprobrijs interficiendos curarunt, diſſeminantes in vulgus, homines eſſe alienis prorſus à Regina animis, qui non diffiteantur hoſtium reipub. ſe partes ſequuturos. Liberum reſponſum.

285 Atque exinde cepit conſuetudo, quæ hodie etiam durat, vt presbyteros

omnes

Examinis iniuſtiſſimi initiũ.

omnes alioſq. Catholicos, quos prehendunt, curiosè percontentur, quid acturi ſint, vel ſuaſuri, ſi exercitus aliquis adeſſet, ad religionis Catholicæ reſtitutionẽ; quod adeo tritum & vulgare eſt, vt pueris etiam & mulieribus, qui per ætatem & ſexum ad bellum ſunt inepti, idẽ quoque proponatur, vt ſaltem ſi pugnare nequeant, quid cupere, aut expetere, vel precibus etiam à Deo contendere velint, intelligatur, quò affectus iſte pœnis etiã caſtigetur. Cuius iniquitatis illud profectò illuſtre exemplum eſt, quòd præteritis menſibus ſanctiſſimo cuidam ſeni fecerunt, cui nomen erat Nicolaus Hornecrus, quem cùm multo tempore carceribus detinuiſſent, quod ſubuculam quandam aut thoracem Sacerdoti feciſſe diceretur (veſtiariæ enim artis erat) neque tamen ſatis probationis adeſſet, vt inde morti ſine nota adiudicari poſſet; cumq. tandem frigore, alijſq. carcerum incommodis tibiarum alteram ſectione ferri

amiſiſſet: iſti nihilò manſuetiores hominis calamitate facti, poſtulatis illis ſanguinarijs eũ aggreſſi ſunt, quid ſcilicet, faceret quamq. partẽ ſequeretur, ſi externorum principum exercitus adueniret, ad religionem Catholicam ſuo loco reponendam; cui cùm ille reſpõderet, ſe iam ſenem eſſe & infirmum, nec vllo modo armis idoneum, ſtatim Toplæus, qui iſtiuſmodi examinibus vtplurimũ præeſt, ad alia illa ſtatim tranſuolat, quid cuperet? quid peteret? quid oraret eiuſmodi tempore? cumq. eò vſque interrogationibus vrgerent, vt hominis tandem Catholici affectum ſaltem, & deſiderium exprimerent, pro religionis reſtitutione, illi tanquam grandi detecto maieſtatis læſæ crimine, exultant planè, & triumphant, & pauciſſimis deindè diebus ſeruum Dei ad patibulum ſuſpendunt.

Res mire calamitoſa.

286 Atque hoc illud ingens crimen eſt, quod Regina hoc Edicto ſuo Catholicis obijcit, eoq. vno omnem ſuam crudeli-

tatem defendendam exiſtimat,quòd nõnulli eorum interrogationibus iſtis preſſi & exagitati, fateantur tandèm,ſi Pontificis iuſſu de religione reſtituēda bello decertaretur, ſe conſcientia ſalua facere nõ poſſe, quin partibus Catholicis adhærerent; qua tamen in re neſcio ſanè, an improbitatis maior, quàm impudentiæ hæreticorum, ſit oſtentatio; quis enim vnquam princeps tam barbarus, aut tyrannus extitit, vt iſtiuſmodi à ſubditis per quæſtiones extorqueret? certè Turcarum Imperator, ſi hæc à Græcis alijſq. Chriſtianis ſibi ſubiectis exquireret, quid tandèm reſpondere poſſent, cum quidquid dixerint, vel contrà principem, vel contrà Deum futurum ſit, & conſequenter vel corporis, vel animæ exitium neceſſario ſit allaturum? quod cùm Turca intelligat, tàm inhumanus aut ferus non eſt, vt illud quæſtionibus perſequendum iudicet, aut de rebus futuris interrogationes inſtituat ſanguinarias.

Magna feritas & crudelitas.

287 Et vt aliquid etiam de Chriſtianis principibus dicamus. Si potentiſſimus aliquis Catholicorum Princeps, qui merito ſuo ſubditis eſt chariſſimus, viros ſibi intimos, & dilectiſſimos percontaretur, quid tandem eſſent facturi, ſi ipſe à fide Catholica deficiens, bellum pro ſecta Lutherana, aut Caluiniana tuenda, contrà Pontificem Romanũ, cæteroſq. principes Catholicos ſuſciperet; quid reſpondere poſſent amantiſſimi, fidiſſimiq. ſubditi, niſi quod hodie in Anglia Catholici faciunt, vt vel reuerentiæ cauſa reſponſionem declinent, affirmantes ſpem habere numquam iſtiuſmodi tempora ſe viſuros, vel ſi amplius vrgeantur, dicãt ſe facturos tunc quod Deus inſpirauerit, vel ſi vlterius adhuc premantur, ſe rogaturos pro victoria iuſtioris partis, vel ſi ne hoc quidem ſufficiat, ſequuturos ſe tandem in illo caſu boni viri conſcientiæ dictamen. an quicquam iuſtius, humilius, aut obſeruantius à Chriſtianis ſubditis

Exemplum de principe Catholico.

reſponderi poteſt?

Exemplum de proteſtãtibus.

288 Sed videamus iam exemplum in partem contrariam, ex ipſa nimirum Anglia deſumptum. Ponamus Reginam factiones omnes, & ſectas nouorum ſuorum Euangelicorum conuocare, id eſt, tàm proteſtantes quàm puritanos, qui reliquis omnibus ſunt potentiores; cogitemus eam dicere, ſe velle iterum Catholicam fieri, & illam religionem Regnio ſuo reſtituere, quam in eo reperit, quam iuramento præſtito complexa eſt, quam ab initio conuerſionis ad Henrici vſque octaui tempora Regnum illud retinuerat, ſe animaduertiſſe, maiores ſuos ſumma gloria vixiſſe, pijſſimeq. in huius religionis obſeruantia mortuos eſſe, ſe ſimilem illis eſſe velle, feſſamq. tandem tantis ſe eſſe iactationibus, tantis nouorum dogmatũ, ſectarumq. digladiationibus, tantis ſubditorum inter ſe colliſionibus, tot reipub. ſuæ periculis, tot Chriſtianorum hominum, ac ſubditorum (qui alio-

quin perutiles ſibi eſſe poſſent) mactationibus, quorum nihil certè fuiſſet neceſſarium, ſi in antiqua religionis profeſſione permanſiſſet. Itaque ſe certo ſtatuiſſe eò velle redire, vnde eſt egreſſa; quod quia ſine tumultu fortaſſe aliquo fieri nō poterit, ſe velle ſcire, quid facturi ſint tùm Proteſtantes, tùm Puritani, quamq. partem ſequuturi, ideſt, ſuam ne, quæ pro Catholicis ſtabit, aut eorum fortaſſe, qui ex Gallia, Belgioq. aduenire poterunt ad partis ſibi contrariæ defenſionem?

289 Si hoc, inquam, Regina à puritanis ſuis, & proteſtantibus percontaretur, aliā longè reſpondendi libertatem, ac ferociā experiretur, quàm apud Catholicos, qui ad omnem modeſtiam, manſuetudinem, & obſeruantiam, quam ſalua conſcientia præſtare poſſunt, in reſpondendo ſe componunt. Cæteri verò ferrum inuicem, & flammas minitantur, ſi quis ſectis ſuis vel verbo ſit contrarius, vt ex ipſorum libris, quos indies ferè, & nuper copioſiſſi- Hereticorum ferocia & magiſtratus contemptus.

mè alter in alterum atrociter edunt, manifeſtè cernitur : quorum illud Apoſtoli prædictum de hæreticis, videtur eſſe propriũ, & peculiare, vt magiſtratum & do-
» minationem ſpernant. Ineptiſſimè igitur,
» falſiſſimèq. hoc ipſum in Catholicos per hæreticos transfunditur, iniuſtiſſimèq. proditionum, & læſæ maieſtatis calumnia Sacerdotibus Anglicanis, per Reginæ Edictum affingitur.

290 Et quanquam his exiſtimem ſatis eſſe reſponſum ad hoc primum ſectionis huius quartæ caput, quod Catholicos de pertinacia & rebellione in reſpondendo accuſat; libet tamen in colophonem addere Lutheri quoddam conſiliũ ad amicos ſuos Lipſienſes, de modo quo reſpondere eos volebat Domino ſuo ac Principi Georgio Saxoniæ Lipſiæq. duci, cùm iuberet tantum, nomina eorum ſcripto referri, qui communionem Catholicam in ciuitate, ac vniuerſitate Lipſienſi apertè vitabant. his enim ad eos ver-

bis perſcripſit Lutherus.

291 Honorabilibus ac prouidis bonis amicis meis Lipſiæ, quos Dux Georgius hoſtis Euangelij proſcribit, &c. Quoniam Dux Georgius nititur etiam ſecreta conſcientiæ explorare, dignus omnino eſſet, vt deciperetur, veluti Satanæ Apoſtolus, quacunque id ratione fieri queat; non enim habet ius vllum tale quid poſtulandi, & peccat in Deum & Spiritum ſanctum. Verum cùm nos conſiderare debeamus, non quid alij faciant homines mali, ſiue homicidæ ſint, ſiue raptores, ſed quid deceat nos pati, ac facere in hoc ſanè caſu, optimum fuerit vt fortiter dicatur huic homicidæ, ac raptori in faciẽ, nolo facere, & ſi rapueris mihi propter hoc vel corpus, vel ſubſtantiam meam, ei rapuiſti, cui exactè perſoluas oportet; vade igitur bone raptor, quod tu vis id nolo ego, quod autem ego volo, id Deus quoque propediem volet; oportet enim diabolo crucem in faciem impingere, &

Epiſtola Lutheri ad Lipſienſes.

non

„ non multum vel applaudere, vel blandiri,
„ ſic ſciet cùm quonam ſibi res eſt. Datum
„ Viutenbergæ in magna ſexta feria anni
„ 1533. Doctor Martinus Lutherus manu
„ propria. Hæc ille Proteſtantium Pater
„ ac Patriarcha Lutherus, de humilitate,
„ qua ſubditi principibus ſuis reſpondere
„ debeant, atque his huic loco ſatisfactum
„ eſſe exiſtimo.

292 Reliqua ſectionis pars etſi verboſior illa quidem, cùm nihil tamen habeat, præter inanem quandam mendaciorum multorum confictionem, nullo prorſus fundamento nitentem, ſed ex ſolo Cecilij capite progenitam, reſponſione certè opus non habet. Dicit enim Alanum & Perſonium Pontifici Romano, Regiq. Hiſpaniarum recenter perſuaſiſſe, vt iterum vires ſuas contrà Angliam experiatur, idq. hoc proximè ſequenti anno; affirmat rem eſſe iam certam & definitam, & per Sacerdotes, qui ex Hiſpania nuper in Angliam venerunt,

Secundum Sect. 4. caput.

Ficta narratio Cecilij.

cæteris Catholicis & complicibus ſuis denunciatam, magnas ad hoc ipſum parari copias, multa nominum Anglicanorum millia Regi oblata, eorum ſcilicet, qui exercitum Regis cùm appulerit, ſequentur, Regis conſiliarios de euentu dubitare, decretum tamen eſſe, ſi claſſis hæc contrà Angliam non præualuerit, vtiliter poſſe contrà Galliam, Belgium, aut Scotiam conuerti; hæc omnia ex quibuſdam presbyteris comprehenſis, qui ex Hiſpania venerunt, cognita eſſe.

293 Quæ vltima ſaltem clauſula (ſi nihil aliud eſſet, quo cætera figmenta coarguerentur) euertit ſanè vniuerſam totius fabulæ narrationem. Nam omnibus pernotum eſt, cùm hæc ſcriberentur, nullum eorum comprehenſum fuiſſe, qui ex Hiſpania venerant. Deindè verò, etiamſi hoc fuiſſet, quis tamen rerum publicarum, aut politiæ peritus exiſtimabit tot Regis Hiſpaniæ cogitationes abditas, & ſecretiora conſilia, iuuenibus Anglica-

Euerſio totius narrationis.

nis, etiamſi Sacerdotes ſint, communicata eſſe? an ſolus ſibi Cecilius aſſumet prudentiam? an non ſatis iam experientia intellectum eſt, harum rerum nihil presbyteris, aut ſcholaribus communicari ſolere, cùm in Patriam redeunt? an vllo vnquam quæſtionum, aut tormentorum genere Cecilius hactenus, aut alius Angliæ carnifex indicium vllum iſtiuſmodi rerum à Sacerdotibus expreſſit? Quid igitur incaſſum hæc iterum ingerit homo perditi pudoris? niſi vt intelligatur, nihil penſi habere, quid effundat, modò inuidiose dicat, quamquam totidem verbis à nobis euertatur, quot ab ipſo aſtruitur.

294 Totam igitur hanc Cecilianæ fraudis actionem intactam penitus hoc loco reliquiſſem, niſi viris iam à me nominatis, noua quædam conuitia feciſſet, quæ ſilentio à me prætermitti non debere videntur. De illuſtriſſimo enim Cardinali Alano contumelioſè dicit Edictum, di-

gnitatis tantæ honorem, ob proditiones ei collatum eſſe; id quod tanti viri virtute, cuius merita non ſolum in patriã, ſed in vniuerſam etiã rempub. Chriſtianam egregia exiſtunt, indigniſſimum planè eſt. De Perſonio verò aſſerit (quod magis tamen ridiculum, quàm inuidioſum eſt) id ſibi aſſumere, vt Regis Catholici Confeſſarius ſit. Sed quis hoc conuitium, aut verum eſſe, aut probabile ſibi perſuadeat, qui hominem, remque, & locũ cognoſcat? Nam neque Perſonius (quoad ego iudico) in aula Regis viuit, neque ſi viueret, ad huius muneris grauiſſimi pondus, homo externus vllo modo idoneus eſſe poſſet, cùm præter cætera multa huic officio neceſſaria, non mediocrem etiam Hiſpanicarum rerum notitiam, experientiamq. expoſcat, & linguæ quoque facilitatem non vulgarem requirat: quid igitur Edictum; tàm abſurda, tàm abſona, tàm improbabilia effundit? certè ni fallor, illud voluit acumen Regi-

De Cardinali Alano & Patre Perſonio.

næ, vt irriſione quadam maieſtati Regis religioſiſſimi illuderet, quòd pro more pijſſimorum principum, confeſſariũ habeat, & Catholicus appelletur. Eò enim pertinere videtur ironica verborum, tùm Confeſſarij, tùm Catholici, hoc loco vſurpatio, quam aliàs ſanè ſtudiosè vitauit.

295 De vtraque igitur vt aliquid dicã: primò quidem certum eſt, Catholici nomen ſanctiſſimum eſſe, & vnà propè cùm ipſo nomine Chriſtiano natum. Apoſtoli enim in ſuo illud ſymbolo antiquiſſimè vſurparunt, & ad veram Chriſti Eccleſiam, non ſolum ab infidelium, & Iudæorum ſynagogis ſeparandam, ſed ab hæreticorum etiam cõgregatione diſtinguendam adhibuerunt: ita vt perfectius aliquid, & certius quodammodo, quàm ipſum nomen Chriſtianum innuere videretur, cùm non quemcunque Chriſtiani nominis profeſſorem, ſed Chriſtianum bonum fidelem, & obedientem ſignifi-

De nomine Catholico.

cet. Vnde & Sanctiſſimus, antiquiſſimuſq. author Pacianus, Epiſcopus Barcinonenſis, epiſtola integra hac de re, contrà ſui temporis hæreticos perſcripta, ſic ait. Chriſtianus, inquit, mihi nomen eſt, Catholicus cognomen, illud me nuncupat, hoc oſtendit, illo ſignificor, hoc probor. Perinde ac ſi diceret, prænomen quidem viri pluribus hominibus conuenire ſolet, cognomen verò certius diſtinguit, atque ita Chriſtiani appellationem hominem tantùm deſignare, qui Chriſti militiam ac caſtra ſequatur, Catholici verò id etiam adiungere, vt intrà propriam quoque Domini familiam quis conſtituatur.

Pac. Epiſt. 1. ad Symp. Nouat.

296 Hoc igitur glorioſum nomen, Hiſpaniarum Regibus ad ſummum honorem, & ob merita in Eccleſiam Chriſti præclariſſima, à Sede Apoſtolica tributum eſt. Quo cùm Rex Philippus, temporibus noſtris, inter cæteros omnes progenitores ſuos nobiliſſimos, digniſſimum

Rex Hiſpaniæ Catholicus.

ſanè ſe præbeat, ſingulari illo ardore, ac conſtantia, qua honorificentiſſimè, pijſſimèq. inter cæteros Chriſtianos principes, religionem Catholicam, contrà varias hæreticorum peſtes, armis, authoritate, conſilioq. tutatus eſt: quid ni meritò hac ſumma laude gloriaq. ſua domuſque ſuæ lætetur?

Incepta Reginæ vſurpatio Catholici nominis.

297 Et quãquam Regina Angliæ, quæ Regi hæc exprobrat, perridiculè ſanè, ipſa ſibi hanc quoque Catholici nominis appellationem coaptare ſtudeat, ne tantò bono carere videatur, affirmans ſe religionem antiquiſſimam, & Apoſtolorum Catholicã tueri; audiat tamen ſanctiſſimum Eccleſiæ doctorem Auguſtinum, fictionem hanc mimicam grauiſſimè refutantem, his verbis: Tenenda, inquit, eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur, non ſolum à ſuis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint enim nolint ipſi quoque hæretici,

Aug. lib. de ver. relig. c. 7.

& ſchiſmaticorum alumni, quando non ,,
cùm ſuis, ſed cùm extraneis loquuntur, ,,
Catholicam, nihil aliud quàm Catholi- ,,
cam vocant. Non poſſunt enim intelli- ,,
gi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ,,
ab vniuerſo orbe nuncupatur. Et alio lo- ,,
co, cùm vir prudentiſſimus nonnulla par-
ticulatim expoſuiſſet, quæ ipſum inter
tot hæreſes, in Eccleſiæ Catholicæ gre- *Aug. cont. ep. Manichæi cap. 4.*
mio retinerent, hæc ſubiungit. Tenet me
poſtremò in Eccleſia, ipſum Catholicæ ,,
nomen, quod non ſine cauſa inter tàm ,,
multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obti- ,,
nuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholi- ,,
cos dici velint, quærenti tamen peregri- ,,
no alicui, vbi ad Catholicam conuenia- ,,
tur, nullus hæreticorum vel Baſilicam ,,
ſuam, vel domum audeat oſtendere. ,,

298 Hæc Auguſtinus, quibus ineptia-
rum planè, & impudentiæ conuincitur Concionatorũ in Anglia cõſuetudo.
illa hæreticorum in Anglia conſuetudo,
quia initijs omnium concionum ſuarum,
pueriliS omninò comœdiæ inſtar, ſollem-

ni, copioſa, & elaborata precatione, pro Regina poſtulant, tanquam vnius veræ, antiquiſſimæ, apoſtolicæ, & Catholicæ fidei defenſore, cùm ne ipſi quidem ſæpe qui verba hæc pro more proferunt, veram ei fidem, ac religionem ſermone reliquo, & libellis à ſe conſcriptis tribuant, quod à ſectis ſuis diſſentiat; nec quiſquã niſi vel inſania, vel ioco Catholicam ei concedere poteſt, ſi Auguſtini verbis proximè à me prolatis credimus.

Titulus defenſoris fidei.

299 Hoc igitur perridiculum, ſed iſtud tamen multò magis, quod nomen illud, ſeu honoris titulum, defenſoris nimirum fidei, memoria noſtra à Leone decimo Pontifice Romano, ob Romanam fidem contrà Lutherum defenſam, Henrico octauo aſſignatum, Elizabetha quoque retinere ac vſurpare volet, dùm Lutheri religionem, quam Henricus pater impugnabat, ipſa propugnet, fidemq. Romanam, quam ille tunc temporis defendebat, iſta planè demoliatur, & qui-

buſcun-

buſcunque poteſt modis extinguere nitatur. Sed bene habet; illa enim tàm eſt Catholica, quàm eſt Romanæ religionis defenſor, & quàm malè defendit, tàm falsò eſt Catholica.

300 De alio item, in quo ludunt Elizabetha & Cecilius, de Regis Confeſſario; quid dicam illuſoribus, quos Apoſtoli nobis futuros prædixerunt, niſi quòd veniet tempus, cùm vtrique hoc cæleſte beneficium Sacerdotalis functionis, hominibus ad ſalutem animarum datum, gemitibus poſtulabunt, & non accipient, quia dùm frui poterant, contempſerunt? triginta ſaltem & quatuor annorum (ſi non amplius) reſtat vobis, miſerrimi, peccatorum cumulus diſcutiendus, diuino iudicio diſtrictiſſimo reſeruatus, & vereor ne vobis dicantur veriſſimè illa tremenda Apoſtoli verba: Epulati eſtis ſuper terram, & in luxurijs enutriſtis corda veſtra in die occiſionis; adduxiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis. Ne-

De Regum Confeſſarijs.

2. Pet. 3. Iud.

Iacob. 5.

que

que vniuerſo tamen hoc tempore, ad ſalutare pænitentiæ, ac confeſſionis Sacramentum, pro Chriſtianorum more Chriſtiq. præcepto ad onus leuandum recurriſtis, ſed vt alius ait Apoſtolus. *Rom. 2.* Secundum duritiam & impænitens cor veſtrũ, thеſaurizaſtis vobis iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Confeſsio quam neceſſaria.

301 Si reſpondetis (quod reſpondebitis) vos Deo ſoli rationem iſtam reddere; audite medicum vobis longè prudentiorem. Agite pænitentiam (inquit Diuus Auguſtinus) qualis agitur in Eccleſia, nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit. ergo ſine cauſa dictum eſt, quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo? *Matt. 18. Ioan. 20.* ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti,

Lib. 2. de viſit. infirm, cap. 4. Et iterum alio loco. Sunt (inquit) qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant; ſi ſoli

Deo

Deo,cui nihil occultum eſt,ſua confitean- „
tur crimina; nolunt enim,aut erubeſcunt, „
aut dedignantur ſe oſtendere Sacerdo- „
tibus. Sed nolo vt ipſa decipiaris opinio- „
ne, quatenus confundaris cõfiteri coram „
Domini Vicario, vel tabeſcens præ ru- „
bore, vel ceruicoſus præ indignatione. „
nam ipſius ſimiliter ſubeundum eſt iudi- „
cium, quem Dominus ſibi non dedigna- „
tur Vicarium. „

302 Demum iudicij tribunal conſtituit Dominus in terris, illis verbis. Quæcunque ligaueritis ſuper terram,erunt ligata „ & in cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper „ terram,erunt ſoluta & in cælis. „ & de hoc iudicio intelligit Auguſtinus verba illa Apocalyſis. Vidi ſedes,& ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt illis, id eſt Sacerdotibus,inquit præſtantiſſimus Eccleſiæ præſul,& doctor. „ Huius autem iudicij tantam voluit eſſe Dominus poteſtatem,ac vim,vt cæleſtis iudicij ſententiam ab iſta pendere omninò iuſſerit. Qui cla-

Iudicij tribunal in terra.

Aug. lib. 20 ciu. cap. 9. Apoc. 20.

Hier.ep.1. ad Heliad.

ues regni cælorum habentes (inquit S. Hieronymus de Sacerdotibus) quodammodo ante iudicij diem iudicant. Et copioſius S.Chryſoſtomus: Sacerdoti thronus, inquit, in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotijs pronunciandi habet authoritatem, quis hæc dicit? ipſe cælorum Rex: quæcunque ligaueritis ſuper terram,erunt ligata & in cælis; quid cùm hoc honore conferri poteſt? à terra iudicandi authoritatem ſumit cælum: nam iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quicquid hìc in inferioribus iudicarit, hoc ille in ſupernis comprobat.

Chryſ.hom. 5. de verbis Eſa.

Vnde principibus Cõfeſſarij conſuetudo.

303 His authoritatibus,Cecili,tàm claris; hoc grauiſſimo Eccleſiæ teſtimonio; hòc antiquiſſimorum Patrum ac Doctorum ſenſu; hac Dominici præcepti tàm euidenti neceſſitate; hac dulciſſimi beneficij, remiſſionis nimirum peccatorũ ſpe, & tremendi Dei iudicij euitandi deſiderio,Principes omnes, Reges, Monarchæ,

Impera-

Imperatores, Pontificeſq. Chriſtiani (qui alias ſe nunquam ad rem per ſe tàm grauem, & naturæ noſtræ repugnantem ſubmiſiſſent) vnanimi conſenſu, nemine repugnante, nemine dempto, ab initio vſque religionis Chriſtianæ (& ardentius fortaſſe, quam reliqui Anglicani Reges) humiliter ſe huic Chriſti in terris tribunali ſubmiſerunt, feceruntq. id quod hodie Rex Philippus, cæteriq. Principes Catholici, ſanctiſſimè prudentiſſimèq. eorum exemplo, rationibuſq. faciunt; vt quiſque ſuum Confeſſarium habeat, virum prudentem, doctum, pium, grauem, legitimaq. Eccleſiæ authoritate munitũ, cuius non tantum poteſtate cæleſti in dimittendis peccatis, ſed ſcientia etiam in diſcernendis, prudentia in curandis, hortationibus ad eadem euitanda, & ſanctis conſilijs ad omnem vitam dirigendam vtantur.

304 Sola Elizabetha eſt, inter omnes Reges, Reginaſq. Britannicas, quæ vnquã Elizabethę calamitas ſpiritualis.

Chriſti fidem ſunt amplexæ (nam Edouardus frater, cùm puer extinctus ſit, hæreticorumq. imperio ſubeſſet, non eſt mirum, ſi Sacramenti huius beneficio caruit; quo Henricus tamen Pater, licet in alijs quibuſdam licentioſior, obſeruantiſſimè ſemper vſus eſſe cognoſcitur) ſola, inquam, Elizabetha ab initio conuerſionis Britannicæ inſulæ princeps eſt, ſola dico, ſine exemplo, quæ, vt ſanctiſſimi Au-
„ guſtini verbis vtar, vel tabeſcens præ ru-
„ bore, vel ceruicoſa præ indignatione, re-
„ nuit coram Domini Vicario peccata ſua
„ confiteri, & iudicium eius ſubire, qui Do-
„ mini præcepto tribunal habet in terris, à
„ quo contempto, neque ad illud quod in
„ cælis eſt, appellari poteſt; atque illud cõſilio maximè tuo, Cecili, homo perdite, & aliorum perditor (vt non dicam animarum quoque proditor) qui præſtigijs tuis effeciſti, vt Princeps Chriſtiana, Chriſtianè Catholicèq. inſtituta, in tantam ſui obliuionem, ſuiq. finis, & iudicij Dei

extremi contemptum veniret, vt totos triginta & quatuor annos iuuentutis, & florentis ætatis ſuæ, ſine vllo Sacramenti huius beneficio, ſine vllo cõſcientiæ ſcrupulo, remorſu, aut remedio, peccata peccatis, & delicta delictis accumulãs (quod in iſtiuſmodi vitæ licentia ac potentia neceſſe eſt accidiſſe) tranſegerit. Quæ ſi tu tandem vel pro illa luere, vel leuare, vel aliquo modo in Principis excuſationem aut leuamen extenuare, aut expiare poſſes, eſſet profectò tolerabilius ferendum. Sed cum tu pondere tuo preſſus miſer, grauiorem longè habeas incumbentem ſenectuti tuæ flagitiorum propriorum ſarcinam (quæ te, niſi potentis Dei miſericordia præueniat, in infernum vſque demerſura eſt) quàm habuerunt vel Epulo ille diues, & delicatus Euangelij, vel Herodes, aut Antiochus, percuſſi ab Angelo: quid ſolatij in illo die, quid leuaminis deceptæ per te Reginæ afferre poteris? clara certè eſt ſententia Domini; heu,

Cecilij impietas.

Luc. 6.
Act. 4.
2. Mach. 6.

nimium clara ac ſeuera, de anima pereunte per alienam culpam: ipſa, inquit, in peccato ſuo morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram.

Ezech.3.

305 Hoc cùm viri omnes Catholici & pij rectè intelligant, ſummoperèq. doleant, & in illis etiam Perſonius, vel præ illis fortaſſe, ob amorem Patriæ Principiſque, quem natura inſitum difficulter quis depoſuerit, certè, ſi ego hominis mentem ſenſumq. rectè auguror, longè mallet Reginæ, quàm Regis Philippi Confeſſarius fieri, idq. tàm nullo præmio & honore(qui tamen Confeſſarijs apud Principes Catholicos non ſolet eſſe exiguus) vt vitæ etiam ſuæ diſpendio, charitatis illud officium libentiſſimè eſſet præſtaturus. Quod & de Illuſtriſſimo quoque Cardinali Alano auſim affirmare, cuius ingentem ergà Patriam & ipſam etiã Elizabethã amorem iam diu cognoui, & hæc ipſa verba in prima eius Apologia, de re non diſſimili memini me le-

giſſe, cùm Dei teſtimonio officium ſuum in Patriam, obſeruantiamq. in Elizabetham teſtatam facit; ſic enim loquitur. Nec te præterit, clementiſſime Deus, quàm frequenter, inſtanterque, maieſtatem tuam precati ſumus, vt cor Principis noſtræ ad mitius nobiſcum agendum, & ad reditum in Patriam aliquando concedendum, ſi gloriæ tuæ conuenire videretur, quacunque id tandem cõditione vitæ ſtatuſq. noſtri eſſet, inclinare dignareris; vt ibi vel in ſumma paupertate anguſtijſque, vel in vitæ præteritæ peragenda pænitentia, aliquam ſaltem noſtrorũ ciuium afflictiſſimis animis operam ſolatiumq. impendamus, omnibus interim honorum, commodorum, dignitatumq. cogitationibus depoſitis, quæ libentiſſimè eis, à quibus modo occupantur, derelinquemus. hæc ille.

Apol. 1. ad Edictũ. 15. Iul. 1580. cap. 1.

306 Ex quibus horum hominũ ad omnem pacem, ac reipub. tranquillitatem propenſionem cernimus, ad omnem etiã

Alani & Perſonij moderatio.

obſeruantiam Reginæ debitam, quos toties Cecilius ſeditioſos, proditores, ac perduelles appellat. Quod ex eo etiam vel maxime, opinor, oſtenderunt, quòd media omnia, quæ ad hanc pacem & moderationem idonea eſſe poſſent, diligentiſſimè ſemper, tùm ſcriptis, tûm etiam factis perſequuti ſunt. Nullis vnquam ſeditionis, aut rebellionis, quanquam iniuſtiſſimè oppreſsi, authores fuerunt; ſed omnis potius obedientiæ ſuaſores, quæ ſalua conſcientia, & ſine Dei iniuria, à Chriſtianis populis magiſtratui ciuili præſtari poteſt. Nonnullis etiam ſedationis, placationiſq. cauſa fuerunt, qui vehementius exulcerati, & in deſperationem vſque iniurijs acti, aſperrima conſilia de ſe, cauſaq. vindicandis agitabant; atque hoc adeò mihi certè, ac definitè conſtat, vt truculentiores longè tragœdias habituros nos fuiſſe in Anglia, ſciam, niſi iſtorum hominum moderatio interceſſiſſet. Quæ certè rebus omnibus tanta

ſemper extitit, vt ipſis etiam aduerſarijs, ac perſecutoribus, ideſt, hæreticis Anglicanis, per exteras aliquando Catholicorum Principum terras, vbi illis incommodare potuiſſent, peragrantibus, non ſolum non nocuerint vnquam, ſed omnia potius ſemper humanitatis ac charitatis officia præſtanda eis curauerint, neminem læſerint, neminem moleſtauerint. quod cùm exemplis plurimis, ſi opus eſſet, & rei cauſæ expediret, demonſtrari à me poſſet, conſultò tamen omittenda duxi.

307 Vnum illud prætermittere nolo, de ipſius Cecilij Nepote, qui vniuerſæ ſuæ familiæ hæres eſt futurus (ſi tamen bonis tàm male partis contrà vetus adagium hæres tertius gauiſurus ſit) ille ipſe inquã, cui nunc Arbellæ matrimonium pactum eſſe dicitur, cùm ante ſexennium ferè clam ſe Romam contuliſſet, idq; vel ſuo fortè videndi ac perluſtrandi res nouas ſtudio (vt ſolent non raro adoleſcentes)

Cecilij nepos per Alanũ & Perſonium liberatus.

vel aui potius, veteratorio conſilio, ad
explorandum & Catholicorum rebus ſe
inſinuandum; re tamen ad Alanum, Per-
ſoniumq. delata, qui eo ipſo tempore ad
Vrbem peruenerant; non tantum iuueni
non nocuerunt, aut comprehendendum
curarunt (quod facile potuiſſent) ſed om
nem potius ei humanitatem exhibuerũt,
re etiam cùm Summo Pontifice commu
nicata, qui ipſis petentibus omnem ado-
leſcenti redeundi ad ſuos libertatem ſe-
curitatemq. præſtandam iuſſit. Cuius
rei & ipſe adoleſcens teſtis eſt, & auus
ſubdolus benè quoque conſcius, eoq. ſa-
nè beneficio, humanitatiſq. exemplo, ſi
quicquam generoſi in ſe animi haberet,
non parum moueretur ad aliquam ſal-
tem Catholicis viris moderationem do-
mi exhibendam, nec vnquam acerbita-
tem tàm virulentam in Alanum, Perſo-
niumque, qui tantopere ſibi profuiſſent,
vbique effunderet. Sed aliorum eſto ar-
bitrium, quid hac de re iudicandum ſit,

nunc

nunc ad poſtremam Edicti ſectionem, quæ totius negotij concluſionem continet, accedamus.

SECTIO V.

Edicti verba.

Quapropter cùm Regis Hiſpaniæ intentiones ita nobis patefactæ ſint, vt amplius de eiſdem dubitare non liceat, quanquam minime profectò dubitemus, quin Deus cauſarum omnium iuſtarum defenſor, eaſdem planè irritas facturus ſit (quemadmodum ſemper feciſſe cernitur) tamen officij quoque noſtri eſt, qui ſupremam ſub potentiſſima eius manu gubernationem accepimus, media omnia adhibere, quæ ipſe nobis donauit, & per ea concurrere, cùm diuino ipſius fauore, per auxilium fidelium noſtrorum ſubditorum, tum ad vires noſtras augendas omni illorum potentia,

Concluſio narrationũ præmiſſarum.

tùm ad leges contrà ſeditioſos exequendas; aliaſq. politicas ordinationes adhibendas, quibus proditiones iſtæ impediri poſſint.

Doctrina & exemplum Eccleſiaſticorum.

Itaque primo loco & ante omnia, hoc poſtulamus ab Eccleſiaſticis noſtris, vt omnis diligentia adhibeatur piorum Eccleſiæ miniſtrorum, vt tùm doctrina, tùm vitæ etiam exemplo retineant conſtanter populum in profeſſione Euangelij, & in officio tùm erga Deum, tùm etiam erga nos, eòq. magis, quod videant paucos ſeditioſorum ac proditorum duces continenter in eo occupari, vt per Seminaria abducant ſimpliciorum & ignorantium multitudinem ad faſcinationes & incantationes ſuas.

Reginæ copiæ.

Secundo, quantum pertinet ad copias noſtras tàm mari quàm terra parandas, ad diſcutiendos vires iſtos inflatos, qui ex Hiſpania nobis intentantur, confidimus per illum ordinem, quem his iam de rebus præſcripſimus; forè nos potentiores quàm vnquam ante, ad hoſtibus reſiſtendum. Ad quod tamen omnino requirimus, vt ſubditi noſtri, tùm mani-

bus,

bus, tùm crumenis etiam & conſilijs ſuis nos adiuuent, & omnes oratione inſtanti apud Deum agant, vt nobis adſit in hac defenſione tàm natura debita, tàm honorifica, neceſſaria, & vtili, cùm ſit tantummodo pro tuenda natiua Patria, pro conſeruandis vxoribus, pro familijs, pro liberis, pro honoribus, pro bonis, pro libertate & poſteris, contrà exteros crudeles, & rapaces, contrà deſperatiſſimos Patriæ depopulatores, ac proditores monſtroſos.

Tertiò, vt remedia etiam matura, & opportuna adhibeatur, contrà ſecretas & fraudulentas machinationes Seminariorum, Ieſuitarum, aliorumq. proditorum (ſine quibus videtur quod Rex Hiſpaniæ nihil ſaltem hoc tempore attentaret) quiq. falſa quadam ſanctitatis ſpecie, in animos ſubditorum noſtrorum ſe inſinuant, vt conſcientias eorum peruertant, & ad proditiones paulatim diſponant, omnino nobis conſtitutum eſt Comiſſarios ſtatim ad omnes Regni noſtri Comitatus, prouinciaſq. cùm mandatis ampliſſimis dirigere,

Remedia contra Seminaria.

Commiſſarij.

rigere, & ad omnes ciuitates, oppida, locaq. maritima earundem, qui ſumma diligentia, modisq. omnibus legitimis inquirant de perſonis omnibus ſuſpectis, quæ vel perſuadeant, vel perſuaderi ſibi permittant, obedientiam vllam cuiuſcunque generis ſit, Papæ vel Regi Hiſpaniæ præbendam eſſe.

Inquiſitionis forma. *Et quia multi ex iſtis Seminarijs cognoſcuntur ementito habitu in regnum noſtrum ingredi, & tanquam alterius longe generis homines in ipſas ſe vniuerſitates, & aulas etiam Principum, familiaſq. nobilium virorum, fœminarumq. (quò tutius lateant) callidiſsimè ingerere, ideo mandamus, ſeueriſsimeq. præcipimus omnibus & ſingulis cuiuſcunque generis, ſtatus, ſexus, conditionis, dignitatis perſonis, immò cunctis etiam Palatij noſtri officialibus, miniſtris, & magiſtratibus, & cuiuſcunque familiæ dominis, aut communitatis alicuius Rectoribus, vt ſtatim ineant exactiſsimam rationem earum omnium perſonarum, quæ his ſaltem quatuordecim menſibus proximè elapſis, domos ſuas*

frequen-

frequentauerint, aut in eiſdem habitauerint, verſati fuerint, dormierint, aut comederint, vel in præſentia quicquam horum faciunt, aut in poſterum factura ſunt, nempe, cuius nominis, conditionis, & qualitatis iſtiuſmodi perſonæ ſint, in qua Angliæ parte natæ, vbi antea conuerſatæ, per integrum ſaltem anni ſpacium, antequam in domum ſuam veniſſent, quomodo & vnde ſe ſuſtentent, quid faciant, quænam loca ſoleant frequentare, quibuſcum verſari, & ſi temporibus debitis & per leges noſtras præſcriptis Eccleſias adeant, ad diuina officia debite audienda, &c.

Vniuerſa autem hæc examina cùm libris particulatim referri præcipimus, hoſq. libros apud vnumquemque patremfamilias diligenter prr modum regiſtri aut calendarij aſſeruari volumus, ex quibus Commiſſarij noſtri, quando eis videbitur expedire, tùm perſonarum, quæ in ſuſpitionem venient, conditiones, tùm patrum etiam familias diligentiam fidemq. inde perſpiciant. Examen regiſtrandũ.

Si

Si quis autem minus libenter ad hæc examina reſpondere perſpectus fuerit, aut in reſponſis dubius apparuerit, huiuſmodi ſtatim comprehendi volumus, & ad aliquem ex Commiſſarijs qui ei loco vicinior fuerit cùm cuſtodia tranſmitti, quod idem etiam fieri præcipimus de patribus familias, domorumq. rectoribus, qui in examine hoc faciendo negligentes ſe aut remiſſos præbuerint, vt à Commiſſarijs caſtigentur, pro qualitate delicti. Si vero aliquis deprehenſus fuerit, qui perſonas iſtiuſmodi ſuſpectas fouerit, aut infra ſpacium viginti dierum poſt huius Edicti in prouincijs publicationem, eaſdem Commiſſarijs non detexerit, hunc caſtigari volumus eadem pœna, qua proditorum ac perduellium complices, fautores, & coadiutores caſtigari ſolent, in quo firmiter omnino & determinate ſtatuimus, nullum prorſus promittere fauorem, aut mitigationem ob cuiuſcunque perſonæ reſpectum, cuiuſuis fuerit dignitatis aut conditionis, immò nec vllam penitus excuſationem negligentiæ, aut omiſ-

Qui comprehendendi.

In fautores & celatores.

Crudele Reginæ propoſitum.

ſionis

ſionis admittere, eorum qui proditores iſtos non detexerint, aut examen tam dictum ſtudioſè non fecerint, de perſonis omnibus quæ in ſuſpicionem vllo modo vocari poſſunt, cùm hoc nullo modo contrarium ſit, ſed conſonum omnino antiquiſsimis regni noſtri legibus, optimiſq; eiuſdem conſuetudinibus, pro conſeruanda ſubditorum obedientia nobis ac coronæ noſtræ debita.

Datum in Palatio noſtro Richmondiæ die 18. *Octobris* 1591. *Regni vero noſtri* 33.

RESPONSIO.

Reuenimus tandem, ſtudioſe Lector, Deo bene iuuante, ad totius Edicti concluſionem; quam vt ex præmiſſis falſiſſimis, & nulla prorſus veritate & fundamento nitentibus illatam vidiſti; ita non miraberis, ſi præmiſſarum iniquitati reſpondeat etiam concluſionis acerbitas: quicquid enim odium, quicquid liuor, quicquid iracundia, quicquid inui-

dia, quicquid ambitio, & aſtutia, quicquid denique vno verbo hæreſis concipere potuit, aut impudentia proferre, de Rege Hiſpaniarum Catholico, de Summo Pontifice, de Seminarijs, de Sacerdotibus, de Societatis Ieſu Patribus, de Cardinali Alano, de Perſonio, de Martyribus, de Catholicis omnibus, pijſq. viris nationis Anglicanæ; id omne perſpexiſti poſitum, effuſumq. in præmiſſis, ſine vllo rubore; ſine vlla verecundia; id etiam opinor confutatum vidiſti, ſine vlla difficultate, ſine vlla dubitatione; reliquum eſt vt videas, quid ad hanc quoque Edicti illationem tam atrocem ac capitalem reſpondeamus.

369. Ac primò quidem cùm Regina tam aſſeueranter, ac vociferanter inclamet, Hiſpaniæ Regis intentionem de Anglia hoc ipſo anno inuadenda, tàm manifeſtè ſibi patere, vt amplius ea de re dubitare non liceat, credo vel ipſos etiam pueros, tàm inanem timoris ſignificationem &

Reginæ metus.

trepidationem irriſuros,cùm videant nullas prope hactenus Regis copias parari, & quas habet, eas bello Gallico, Belgicoq. tàm neceſſario eſſe occupatas, vt de Anglia ne cogitare quidem in præſentia Regis animus videatur. Itaque tota iſta decertatio, ac præliatio, quam Edictum depingit,in aëre plane eſt. Regina enim fingit ſibi hoſtem,fingit exercitum, fingit claſſem, fingit proditiones, ſeditiones, coitiones, confœderationes; deſignat locum tempuſque, & ipſas quoque inimicorum tùm ſpes,tùm etiam cogitationes (quod meticuloſi facere ſolent) ſibi proponit, & contrà has vmbras tàm ferociter depugnat, & ſæuè tumultuatur, perinde ac ſi re ipſa aliquid eſſet,& triplici omnino armorum genere, contrà hoc certamen à ſe confictum videri vult præmunita.

310 Et primum quidem ad ſpeciem cæleſte eſt & pium, quo magnificè de Deo Edictum loquitur,& opem ab illo ſtudio- *Hæreticorum fucus.*

ſè implorandam ſeuerè præcipit; qui fucus, & deuotionis ſimulatio, ſi Tertulliano, Auguſtino, Vincentio Lirinenſi, alijſq. patribus prudentiſſimis, ſanctiſſimiſque, & in hæreticorum rebus exercitatiſſimis credimus; cùm ab iſtiuſmodi hominibus Eccleſiæ Catholicæ aduerſarijs vſurpantur; veſtimenta ouium intelligenda ſunt; quibus, vt prædixit Dominus, lupi ſe contegunt ad capitalius decipiendum. Nihil enim frequentius in ſectariorum omnium ore, tùm antiquorũ, tùm noſtri etiã temporis eſſe ſolet, quàm Dei nomen, vt eo ipſo Dei maieſtatem, ac cultum, religionemq. impugnent. Nam niſi Dei nomen, numenq. præſeferrent, nullam prorſus in Dei negotijs, quibus perturbandis ac miſcendis inuigilant, apud Dei ſeruos fidem inuenirent.

Matth.7.

Et notandum profectò eſt vel maximè, hác veſtem ouilem orationis & deuotionis, quam hoc loco induit Elizabe-

tha, eiuſmodi planè eſſe, ita vt ab omnibus facile internoſci poſſit nō eſſe ipſius; ſolo enim verbo conſiſtit hæc Deum inuocandi prætenſa deuotio. Nam neque Elizabetha, neque alius ferè quiſpiam eorum, qui religionem eius ſequuntur, præſertim qui in Palatio viuūt, operamq. & conſilium ad hæc nequiſſima contrà Catholicos præſtant, orationis exercitiū pili faciunt, neque vnquam ferè de eo loquuntur, niſi forte, vt hoc loco, ad oſtentationem. Ita vt verè veſtimentum eſſe noſtrum orationis vſum appareat, & ab iſtis ad fucum & fraudem tantummodò aſſumptum. Et certè qui in aula Anglicana diutiſſimè vixerunt, omninò affirmant, vix vnquam ſe Reginam ſeriò orantem vidiſſe, quanquam frequenter ſacellum ſuum diebus feſtiuis magno quidem ornatu, & pompa adeat. Sed hoc ad ſplendorem, & authoritatem fit, tempus verò colloquijs, immò iocis etiam & riſu vtplurimum teritur, neque facile vel

Orationis cōtemptus apud hæreticos.

genu-

genuflexio alicuius, vel pectoris tunſio, vel labiorum motio, vel alterius cuiuſcunque ſiue exterioris, ſiue interioris reuerentiæ ſignum cernitur.

Comitis Leceſtr. irreligioſitas.

312 De Comite verò Leceſtrenſi, qui magnus Euangelicorum Mœcenas, Catholicorum verò hoſtis extitit, mihi ipſi aliquando in Italia faſſus eſt vir quidam nobilis, ſed religione minime catholicus, ſe multis annis eidem Comiti intimè in cubiculo inſeruijſſe, neque vnquam tamen hominem orantem perſpexiſſe, vel vnam tantum orationem dominicam recitantem. Quod & de alijs quoque plurimis religionis Anglicanæ proceribus, & magnatibus (præſertim verò Palatinis) certiſſimè conſtat. Immo & in reliquum etiam irreligionis iſtius populum adeo res hæc manauit, vt ſuſpectum planè habeant, ſi aliquem orationi deditum animaduertant. Nec diu eſt (vt nobis retulit, qui rei interfuit) quod hæretici quidam carcerem de repente ingreſſi,

greſſi,

greſſi, cùm ſacerdotem fortè, qui captiuus detinebatur, genibus flexis orantem inueniſſent, magna irriſione exclamantes percontati ſunt, an Magus fortaſſe eſſet, & an illis exorciſmis dæmones adiuraret.

313 Omnibus præterea pernotum eſt, quod etiamſi in examine de Catholicis, quod hac Edicti ſectione præſcribitur, tanquam præcipuum quid interrogationibus, quæ fieri iubentur, ponatur, vt à perſonis omnibus ſuſpectis petatur, ſi temporibus debitis & per leges præſcriptis Eccleſias adeant, ad diuina officia debitè audienda: hoc tamen non niſi ad Catholicos detegendos & illaqueandos pertinet, qui conſcientiæ cauſa ab hæreticorum Eccleſijs abſtinent, cùm cætero quin infinita reliquorum multitudo ſit, per vniuerſam Angliam obuia, tùm aulicorum, tùm magnatum & nobilium, tùm inferioris etiam plebis, qui vel ob occupationes & negotia, vel ob negligentiam

Religionis negotium nō agi apud hæreticos Angliæ.

gentiam & incogitantiam,vel ob religionis omnis cultuſq. Dei contemptum, vix ſemel in anno,vel ne ſemel quidem annis pluribus Eccleſias adeunt.Quibus tamen propterea nulla moleſtia exhibetur, eò quòd vel proteſtantes eſſe cognoſcãtur, vel ſaltem eiuſmodi vitæ & conuerſationis,vt nullo penitus conſcientiæ ſcrupulo prohibeantur, quo minus adeant, cùm eis nominatim præceptum fuerit, aut commodum alioquin videatur.Quo euidentiſſimè demonſtratur, non religionis negotium ab hæreticis agi in Anglia, ſed ſtatus tantùm politici, & commodorum temporalium, quod verbis etiam apertis magiſtratus ipſe non raro fatetur, cùm ſæpe Catholicis (ſi quos amicos habet) ſuadere ſoleat, vt Eccleſias ſuas adeant, etiam repugnante conſcientia, & animo diſſentiente. Se enim non petere vt orẽt, aut preces vllas cùm ipſis miſceant, immò oderint,auerſentur,& deteſtentur animis quantum volent, quicquid ibi geri-

tur; orent etiam apud ſe, quod libuerit; tātum id ſe poſtulare, vt corpore adſint, ad externam quandam obedientiæ oſtenſionem, hocq. ſufficere ſi rariſſime quoque quolibet anno præſtetur.

314 Atque hinc etiam cernitur, quam fucatum & inane ſit hoc ouinũ indumentum quod Regina hoc loco induit, de orationis ſtudio, & Deum inuocandi feruore. Nam de cæteris quidem antiquis Principibus hæreſi infectis, & Catholicorum perſequutoribus tradunt plerunque Scriptores Eccleſiaſtici, eos nonnulla bona, malis licet permixta præſtitiſſe, quorũ obtentu, tamquam veſtitu quodam ſe velabant. Ita enim Victor Vticenſis de Genſerico & Hunnerico Arrianis regibus ſcribit, quædam illos Catholicis permiſiſſe, vt Miſſas (verbi gratia) extra fortes Vandalorũ, Eccleſias etiam aliquãdo liberas, ipſos quoque deuotè memorias martyrum frequẽtare ſolere, & alia iſtiuſmodi præſtare. Sed omnia hæc ouiũ fuiſſe Lib. de perſecut. Vandal.

veſtimenta tamen dicit, à lupis rapacibus ad dolum aſſumpta.

315 Sanctiſſimus etiam doctiſſimuſq. Hilarius, præclarè iſta contrà Conſtantium Imperatorem Arriana labe contaminatum, ediſſerit. Poſt verba enim Chriſti recitata. Attēdite vobis ab eis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, ab intus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos. hæc infert: Ex geſtorum fructu veſtimentorum ſpecies arguitur. Veſtem ouis tuam (lupe rapax) cernimus. Auro reipublicæ ſanctum Dei honoras, & vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis, Deo ingeris, oſculò Sacerdotes excipis, quo etiā Chriſtus eſt proditus. Caput benedictiòni ſubmittis, vt fidem calces. Conuiuiò dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egreſſus eſt. Cenſum capitis remittis, quem Chriſtus ne ſcandalo eſſet, exoluit. Vectigalia, Cæſar, donas, vt ad negationem Chriſtianos inuites. Quæ tua ſunt

Hil. lib. contra Conſt. Imp.

Conſt. ſimulata bona.

relaxas,vt quæ Dei ſunt,amittantur. hæc tua falſa ouis indumenta ſunt. At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi.

316 Hæc D. Hilarius. larga deinde oratione perſequens, quæ Conſtantius contrà Catholicos, & præcipuè contrà Epiſcopos Athanaſium, Paulinum, & alios fecerat. Mutati, inquit, à te præfecti, electi duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanaſio Chriſtus prædicaretur. Arma tua contuliſti contrà fidem occidentis, & exercitus tuos conuertiſti contrà oues Chriſti. Paulinum beatæ paſſionis virum blandimento ſollicitatum relegaſti, & Eccleſiam ſanctam Treuirorum tali Sacerdote ſpoliaſti, edictis fidem terruiſti, Mediolanenſem pijſſimam plebem furore terroris tui turbaſti, tribuni tui adierunt ſancta ſanctorũ, & viam ſibi per populũ crudelitate pandentes, protraxerunt de altario Sacerdotes. Leuius te putas, ſceleſte, Iudæorum

Conſtantij lupina opera.

„ impietate peccaſſe? Vertiſti deinde vſque
„ ad Romam bellum tuum; eripuiſſi illinc
„ Epiſcopum. ô te miſerum. quos tu dein-
„ de in Eccleſiam Toloſanam exercuiſti fu-
„ rores? clerici fuſtibus cæſi, Diaconi plum
„ bo eliſi, & in ipſum (vt ſanctiſſimi mecum
„ intelligunt) in ipſum, inquam, Chriſtum
„ manus miſſæ. Hæc Conſtanti ſi ego men
„ tior, ouis es; ſi verò tu peragis, Antichri-
„ ſtus es.

317 Videat nunc Elizabetha, quid ex his ei conueniat, nam certè quæ de veſtimentis ouium dicit Hilarius, ideſt, de bonis nonnullis actionibus Catholici Principis, quas Conſtantio Imperatori remanſiſſe concedit (licet mala intentione ab illo vſurpatas) non video ego vllam, quæ rectè & iure Elizabethæ poſſit attribui. Nam illa neque auro reipublicæ ſanctũ Dei honorat (quod faciebat Cõſtantius) ſed expilat potius. Neque publicata edictis, aut exacta pœnis; Deo ingerit dicatque; ſed aufert omninò. Neque oſculo

Nihil Elizabethę de veſtimẽtis ouium cõpetit.

Sacerdotes Dei excipit, ſed patibulo. Neque caput ſuum benedictioni Sacerdotis ſubmittit, ſed Sacerdotum potius ſe caput conſtituit. Neque conuiuio presbyteros dignatur, ſed omni conuitio & cruciatu proſequitur. Neque cenſum & vectigalia Eccleſiaſticis remittit, ſed magis onerat, & multiplicat. Neque denique quicquam eis relaxat, ſed grauiora longe cæteris imponit, & quæ illorũ ſunt quotidie ad ſe trahit. Nullum igitur iſtorum veſtimentorum induit Regina, ſed reſpuit potius & auerſatur; quæ tamen antiquiſſimè, ante mille nimirum & trecentos annos, à tanto præſule & Eccleſiæ doctore, quantus erat Hilarius, verarum Chriſti ouium veſtes natiuæ habebantur, & Chriſtianorum principum pijſſima inſignia.

318 Altera verò pars, de lupinis operibus, tota quadrat Elizabethæ mirabiliter, non tantum ob perſecutionem, eiectionemq. Epiſcoporum Catholicorum, Lupina opera.

quæ Conſtantio obijcitur,& ab Elizabetha exercetur; ſed ob corruptos etiam populos, ob commotas legiones, ob arma ſumpta, ob exercitus ductos contrà fidem vniuerſalem occidentalis Eccleſiæ, ob bellum præterea in Romam motum, ob clericos cæſos, ob diaconos eliſos, ob ſancta ſanctorum à ſæcularibus violata, & ob Sacerdotes per vim ab ipſo altario pertractos, & quod maximè horrendum Hilario videbatur,ob manus impiorum in ipſum Chriſti corpus miſſas. Quod genus nefandiſſimi ſceleris Arriani olim nō minus quàm hodie Caluiniani ſolebant perpetrare, quia cùm Chriſti diuinitatem non concederent, conſequenter etiam veram eius in Euchariſtia præſentiam pernegabant.

319 Cùm ergo Elizabetha, lupina hæc opera tàm manifeſtè faciat, nec vlla ouis indumenta (quæ Conſtantius tamen obtendebat) præ ſe ferat; quid de ea dixiſſet Hilarius, ſi modo viueret? quid exiſti-

Concluſio.

maſſet,

maſſet, ſi hoc Reginæ Edictum legiſſet, quo omnes Sacerdotes, eò quòd Sacerdotes ſint, læſæ maieſtatis condemnantur? & quo omnis maiorum noſtrorum fides, deuotio, cultus, ac religio, extrema impudentia, *incantationes* planè *magicæ & faſcinationes* denominantur? ſed cætera iam perſequamur.

320 Perlepidum planè eſt & facetum, quod Regina tàm ſeuerè exigat à miniſtris ſuæ Eccleſiæ, vt *tùm doctrina, tùm vitæ etiam exemplo retineant populum conſtanter in Euangelij ſui profeſſione.* Nam vt nihil hoc loco de doctrina eorum dicam, quæ iam tam effœta eſt & contemptibilis, vt nullum amplius niſi ſtupidos moueat, cùm nihil habeant iam diu reliquum Miniſtri præter inſanos è ſuggeſtis clamores, & debacchationes, inſulſiſſimaſq. de ijſdem rebus tautologias, millies à Catholicis liquidiſſimè confutatas, & decies millies ab ipſis ſtolidiſſimè repetitas: cùm nullam ferant cùm Ca- Miniſtrorũ Anglicanorum doctrina.

tholicis congreſſionem, omnem formidēt diſputationem, omnem ſcriptionem, examen omne detrectent, cùm infinitis in ſe ipſi diuiſi ſectis, nihil habeant certi quod affirmatè dicant, aut in quo perſeuerantiam vllam ſpondeant: vt nihil, inquam, de hac doctrina dicam, quæ ſola hodie magiſtratus ciuilis potentia, nulla autem ſua energia, aut hominum prudentiorum exiſtimatione conſtat; certè miniſtrorum vita eiuſmodi quoque eſt, ſiue vulgares & plebeios eorum parochos & prædicatores, ſiue præcipuos etiam prælatos Eccleſiæ Anglicanæ ſpectemus, vt vel ipſorum quoque hæreticorum teſtimonio, ea vna res magis Euangelio ſuo noceat, quàm cætera omnia incommoda.

Miniſtrorum vita.

321 Audeo enim conſtantiſſime affirmare, nullum eſſe genus hominum cuiuſcunque conditionis, aut perditionis etiam ſit, id eſt, ſiue aulicum, ſiue militare, ſiue calonum, ſiue cytharædorum, ſiue

ganeo-

ganeonum, aut ſi quid aliud vilius, licentioſius, aut contemptibilius ſit, qui peius audiant hodie ob vitæ flagitia apud Anglos, quàm turba Miniſtrorũ Caluiniano rum. Et de vulgaribus quidem infimiſq. verbi miniſtris, ad ea me refero, quæ indies ferè, in iudicijs publicis ac tribunalibus, de eorũ factis ſceleribuſq. neceſſario decernuntur, & in acta publica referuntur. De magnatibus verò & honoratioribus, ideſt, de Epiſcopis, Decanis, Archidiaconis, cæteriſq. prælatis, videãtur libri varij nuper editi idiomate Anglicano, ab eorũ fratribus, Puritanis & Bruniſtis, quibus Patrum ſuorum turpitudines (præcipue verò Epiſcoporum) non reuelantur modo, ſed diuulgãtur etiam, & in propatulo ponuntur. Quorum nonnulla, vt vel ex inuidia nouorum iſtorum dogmatizantium cõficta, vel liuore & odio (quòd nullos extare Epiſcopos vellent) amplificata concedamus: multa tamen ita publica eſſe cognoſcuntur, & communi ferè

Elmerus Epiſcopus Londinenſis.

Sandeſus Archiepiſcopus Eboracenſis.

omnium voce ita conteſtata; vt negari poſſe non videantur. Vt eſt illud de pannorũ furto, quod de Elmero Pſeudoepiſcopo Londinenſi narrant. Illud etiam adulterium manifeſtum Sandeſi Archiepiſcopi Eboracenſis, qui cùm octuageſimum ætatis annum excederet, ſuamq. domi, apoſtata libidinoſus, vxorem haberet, cùm aliena tamen inuentus eſt, fragrante delicto, in diuerſorio publico, à Roberto Stapeltono, Equite aurato, ſectæ Caluinianæ, qui publicè etiam hominem eius rei accuſauit, licèt non exiguo ſuo malo id feciſſe conſtet, quòd Euangelio ſuo maculam quandam ea re aſpergi hæretici iudicarent.

322 Cætera prætereo, quia infinitum eſſet ſingula proſequi, de quibus integra volumina ſcripta eſſe in Anglia, & apud priuatos aſſeruata, de miniſtrorum verbi geſtis, vel flagitioſiſſimè potius commiſſis dicuntur. Ex quo facilè intelligi poteſt, quàm puſillum omnino ſubſidium

iudicandum ſit, quod Regina ab Eccleſiaſticorum ſuorum vitæ exemplo expectare poſſit, ad populum in Euangelij ſui profeſſione retinendum; ſi pœnæ metus non magis vrgeret, quàm populi deuotio retineret, aut ſi Reginæ virga ferrea potentior non eſſet apud plebem, quàm eſt miniſtrorum vita lutea, & cœnoſa.

323 Sed multum valet fortaſſe ſpecioſum Euangelij nomen ad homines in hac Reginæ ſecta retinendos; eaq; de cauſa Edictis omnibus tàm ſtudioſè inſeritur, & ad nauſeam vſque vbique repetitur. At contra, ſi quis eſt prudentior, & ex vna parte cōſideret, hoc nomen vbique apud omnes ſectas frequentiſſimum eſſe, & nullum extare tàm perditum, aut obſcurum noſtri temporis hæreticum, ſiue Anabaptiſtam, ſiue Trinitarium, ſiue Arrianum, ſiue Zuinglianum, aut Lutheranū, alioſq. qui poſt Lutheri audaciſſimam huius verbi vſurpationem (qua dictis ſuis & inuentis omnibus; etiam ijs quæ poſtea mutabat, De nomine Euangelij.

bat, reuocabat, & deteſtabatur, Euangelij nomen ſine vllo diſcrimine pertinaciſſimè imponebat) cùm nullum, inquam, penitus noſtro tempore hæreticum viderit, qui Lutheri exemplo Euangelij nomē vniuerſæ doctrinæ ſuæ non attexat; ita vt vulgari ſequacium ipſius inter ſe ſermone, hæreſis illa (quæcunque demum ſit) non aliter appelletur, quam ſanctum Chriſti Euangelium: Ex alia autem parte ad antiquitatem oculos reflectens, dùm perpendit, hoc nomen Euangelij apud antiquos patres, non niſi ferè cōtrà Gētiles, Iudæoſq. vſurpari, cùm volumina illa quatuor Euangeliſtarum, aut totam certè religionē Chriſtianam intelligebāt; inter ſuos autem loquentes, & contrà hæreticos, hoſteſq; domeſticos diſputantes eoſdē Patres doctrinam ſuām & Eccleſiæ appellare potius ſolere Catholicam, communem, vbique receptam, à patribus traditam, vniuerſali Chriſtianorum conſenſu, vſu & exercitio approbatam, & Epi-

ſcoporum ab initio vſque ſucceſſione cō-
firmatam,alijſque iſtiuſmodi nominibus,
epithetiſq. delineare,quibus eam ab om-
ni hæreſis nouitate, ſingularitate,ac cor-
ruptione diſtinguant.

324 Cùm hæc, inquam, vir aliquis pru-
dentior conſiderat; non admodum,opi-
nor,mouebitur vocis huius,Euāgelij,tàm
frequenti vſurpatione. Immò tanto ma-
gis ſuſpecta ei res erit, de Euangelij veri-
tate,quanto ſtudioſius,& ambitioſius no
men ipſum obtrudi,& cuiuſque ore inge-
minari audiet. Nam vt in ciuitate aliqua,
qua vnam tantùm haberi gemmam, cer-
tum eſſet; ſi quis multos in plateis com-
pitiſq. obuios haberet,quorum vnuſquiſ-
que magna vocis contentione, gemmam
illam ſe vendere,& apud ſe ſolum habere
diceret; & ſinguli ſeorſum alios alij de
fraudibus ac corruptelis inſimularent;
perſpicuum eſt multitudinem hanc, qui
gemmam vltro offerunt, non tàm fidem
facere, quòd ſinguli habeant (hoc enim

Frequens Euangelij nominatio ſuſpectam rem facit.

nullo modo fieri poteſt cùm ſit vnica) quàm ſuſpicionem præbere, quòd nemo eorum habeat, cùm ſinguli tàm pertinaciter illam ſe habere oſtendant.

Omnes Sectarij contrarij Anglicanis.

325 Atque hoc quidem, in negotio religionis quòd agimus, multo certius ac euidentius eſt. Nunquã enim alicuius gemmæ aut lapilli pretioſi, tot exilierunt in forum vindices, aſſertores, venditores, atque falſarij, quot noſtro tẽpore diuerſorũ Euãgeliorum præcones noui, ſibi ipſis contrarij, & verũ ſibi ſinguli Euangelium vendicantes; cùm vna tamen Euangelij ſimplex ſit veritas, nec plures eſſe poſſint. Et quòd magis mirandum vel ridendum potius eſt, cùm ſecta quælibet tẽporibus noſtris ſibi ſoli (vt dixi) veritatem hanc vnicam & indiuiduam aſſerãt; omnes tamen extra Angliã in eo conueniunt, vt religioni Anglicanæ eandem penitus denegent, tanquam omnium ſectarum abſurdiſſimæ, quæ neque ſibi, neque cùm alijs conueniat, ſed ſola Reginæ voluptate ac

beneplacito, ex multis erroribus (vt ipſi loquuntur) farcinata, tùm externos, tùm etiam domeſticos nouorum Euangeliorum artifices contrarios habeat.

326 Et in externis quidem ſectarijs, vt taceam tùm Anabaptiſtas, tùm Arrianos & Trinitarios nouos, Stancarianos, Seruetianos, Suenkfeldianos, Oſiandrinos, aliosq; quos iſti profeſſores Anglicani, apertos ſibi fatentur eſſe inimicos, licet ab eodẽ Lutheri capite, quo illi prognatos: ipſe ſanè Lutherus pater, cùm alias ſæpiſſime, tùm in eo ſcripto, quod, vt ipſius verbis vtar, pro vltima ſua volũtate tantum in vita, quantum poſt mortem haberi, teneriq. ab omnibus iuſſit; hãc totam Zuinglij, Oecolampadij, & Caluini doctrinam, quam vocat ſacramentariam, & etiam Angli pro veritate Euangelica tuentur, maledictam, falſiſſimam, diabolicam, & à ſpiritu vertiginis excogitatam pronunciat. Lib. de conf. Luth. de cœna Christ.

327 Atque iuxta hoc decretum ſententiamq.

Lutheranorum iudicium de religione Anglicana.

tiamq. Lutheri, omnes deinde diſcipuli ac ſequaces, qui doctrinæ eius à Spiritu ſancto, vt ipſi interpretantur, profectæ, inhærere ſe profitentur (doctiores præſertim, vt ſunt Ioachimus, Vueſtphalus, Flaccus Illyricus, Philippus Melancthon, Ioannes Timanus, Eraſmus Alberus, Brẽtius, Stoltius, alijq. multi) perpetuis ſcriptionibus, hoc Euangelium Lutheri, Zuingliano (vt ipſi aiunt) fermento aſperſum, tanquam multarum hæreſum ream acerrime impugnarunt. Quo etiam nomine Principes Saxoniæ iuniores, & Comites Mansfeldienſes, Lutherani omnes, anno Domini 1559. decreto publico ſectam Zuinglianam, tanquam hæreſim execrabilem, condemnarunt, vt Lauatherus ipſe quoque Zuinglianus, in hiſtoria controuerſiæ ſacramentariæ teſtatur.

328 Idem fecerũt, horum exemplo, aliæ quoque ciuitates, ac reſpub. Lutheranæ, vt Vuitembergenſes, qui anno 1560. ſtatuto publico expulerunt Zuinglianos,

quod ſecuti ſunt poſtea Ienenſes, Hambergenſes, Magdeburgenſes, cæteræq. multæ ciuitates Lutheranæ. Et biennio poſt, ideſt anno 1562. tota ferè Saxonia, in conuentu Luniburgenſi, hæreſeos damnarunt Albertum Hardemburgium reliquoſq. Zuinglianos.

329 Zuingliani verò quid? an Euangelio iſti Anglicano ſubſcribunt? minime verò gentium. Cùm enim capitaliter planè à Caluino diſſentiant, idq. in re ipſa ſacramentaria, qua ſola fraternitas eorum conſiſtere videtur, quo modo Euangelium Anglicanum approbabunt, in quo Caluini partes præcipuæ eſſe cognoſcuntur? Itaque Caluinum adhuc viuum accuſarunt hæreſeos apud rempub. Bernēſem Heluetiorum, Andreas Zebedæus, & Ioannes Angelus miniſtri Zuingliani, & collectos ex eius libris Latinis, & Gallicis, articulos quindecim, adeo exagitarunt & fecerunt odioſos, vt Senatus conſulto Bernenſium, qui Zuinglij quoque

Zuinglianorum iudicium.

Geneb. ex Carolo Molinço anno 1555.

doctrinam ſequebatur, decretum ſit anno 1555. tertio nonas Aprilis, amplius non permittendos eſſe illos Caluini libros, in quibus articuli iſti comprehendebantur, inter quos erant libri quatuor inſtitutionum, quod opus tamquam præcipuum à Caluiniſtis omnibus plurimi æſtimatur.

Caluiniſtarum iudicium.

330 Caluiniani etiam quid? num iſti Elizabethæ Euangelio adhærent? & religionis Anglicanæ veritatem confitentur? non, opinor, ſic exiſtimabunt, qui Caluini Commentarium in Amos Prophetam legerint, vbi vehementiſſime inuehitur in eos, qui Henricum octauum Eccleſiæ Anglicanæ caput appellarunt; qui Euangelij tamen iſtius cardo eſt præcipuus apud Anglos, cùm omnis Reginæ poteſtas Eccleſiaſtica ex eo ſolo pendeat, & ex hoc itidem primatu omnis ſtructuræ Anglicanæ religionis machina. Illud item Caluini hoc ipſum confirmat, quod in inſtitutionibus habet: Si ſcriptu-

Caluinus in cap. 6. Amos. & lib. 4. inſt. c. 11. ſect. 15.

ras, inquit, & vetera exempla intuemur, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare. hæc Caluinus contrà Elizabetham, quæ eadem etiam à Beza, Caluini diſcipulo, & ſucceſſore, plurimis argumentis & exemplis confirmantur, in confeſſione Eccleſiæ Geneuenſis, quæ quidem confeſſio, cæteræq. non paucæ aliarum Eccleſiarum, quæ noſtro tempore prodierunt, ſeq. Caluini dogma ſectari profitētur (præſertim verò Scotica, Francica, Flandrica, & Heluetica) non tantum in articulo poteſtatis Regiæ, in rebus Eccleſiaſticis, ſed in multis etiam alijs, nominatim verò de vniuerſa forma regiminis Eccleſiaſtici, ac doctrina praxiq. Eccleſiæ Anglicanæ, omnino diſſentiunt. Vnde neque veritatem Euangelicam, quæ erroris omnis expers eſſe debet, doctrinæ huic Anglicanæ vllo modo concedere poſſunt, aut volunt. At-

Confeſsio Eccleſiæ Geneuēſis.

que hæc de externis.

Henrici octaui diſſeſio ab Elizabetha.

331 De domeſticis verò ſi loqui volumus, ideſt, de Anglis, vt Catholicos prætereamus, qui Euangelio huic perpetuò repugnarunt, videamus de cæteris, ſi vllo modo coaptari poſſint. Et Henricus quidem Elizabethæ pater, qui & propter parentis authoritatem, & quòd omnium regum primus à condito Anglorum imperio, religionẽ antiquam & Romanam in regno ſuo perturbauit, pōdus aliquod apud filiam habere debuiſſet; tàm erat inimicus huic Elizabethæ Euangelio, vt ſex articulis, ſua, ac comitiorum ſuorum authoritate explicatis & firmatis, vniuerſam eius ſummam de hæreſi planè condẽnauerit, & omnes flãmis adiudicauerit, quotquot vllo modo doctrinam eis contrariam amplecterentur. Quorum articulorum cùm ſextus & poſtremus hoc „ aſſereret, habendum pro hæretico & vi„ uum comburendum, quicunque negaret „ confeſſionem ſecretam, quam auricula-

rem vocant, ad ſalũtem æternam neceſ- „
ſariam eſſe, & contrà Elizabetha decer-
nat, hoc genus confeſſionis, non tantum
non neceſſarium, aut licitum eſſe, ſed pro
ditorium planè, & contrà Coronæ ſuæ
maieſtatem habendum, eamq. ob cau-
ſam ſuſpendendos eſſe & in quatuor par-
tes tãquam perduelles diſſecandos, quoſ-
cunque hoc modo peccata ſua ſacerdoti
confeſſos eſſe conſtiterit, non video qua
ratione hi duo principes in vnã Euangelij
cõfœderationem conueniant, ſed potius
ſi vnà hodie ambo viuerent, vel filiæ Patrẽ
patibulo fore ſuſpendendum, vel Patrì
filiam igne conſumendam; niſi leges
vterque reuocarent ſuas.

332 Poſt Henricum ſequutus eſt Edo-
uardus puer, Elizabethæ frater: qui etſi
pro infantia, religionis vim, diſcrimen,
aut dignitatem intelligere non potuerit;
caput tamen Eccleſiæ Anglicanæ ſupre-
mum in terris à ſuis vocabatur, & Archi-
epiſcopis, Epiſcopiſque, ordinandi mi-

Edouardi Sexti & ſuorũ religio.

niſtros

niſtros & Sacramenta adminiſtrandi, (quod hodie quoque Elizabetha fœmina facit) authoritate Regia, & Pontificia facultatem concedebat, vt ex actis publicis conſtat. Religionis quoque formam, & fidei capita præſcribebat, & de his omnibus librum certum publicumq. edendum iuſſit, quo omnia ad exactam Euangelij ſui, pro illo tempore currentis, veritatem comprehendebantur. Sed quantum illa diſcreparent ab iſta ſectæ norma, quæ hodie ab Elizabetha præſcribitur, tùm libri ipſi regia authoritate diuerſis temporibus editi oſtendunt, tùm præcipui etiam & primi, illius temporis, & regni Edouardi, infeliciſſimi magiſtri, ac corruptores demonſtrant, qui ex alieno ſolo ad populum Anglicanum peruertendum euocati fuerant, Martinus nimirum Bucerus, & Petrus Martyr, vterque monachus apoſtata, quorum Martinus primùm ex fratre Dominicano Lutheranus factus, poſteà ſectam Zuinglia-

Sand. li. 2. de ſchiſ. Anglican. & Foxius.

Buceri incõſtantia.

nam

nam ad tempus ſequutus eſt, quam diuinitus planè à Chriſto traditam, epiſtola ſua ad Norimbergenſes affirmat, & doctrinā Lutheri nouam, phanaticā, & cùm ſacris litteris pugnantem eſſe proteſtatur. Tandem tamen huius factionis pertæſus, in magna Lutheranorum Synodo, apud ædes ipſius Lutheri habita, Vuitenbergæ anno Domini 1536. (vt Functius Lutheranus, & Lauaterus Zuinglianus ſcribunt) ad Lutheri partes iterum redijt, idq. tanto animi, vt videtur, ſenſu, vt in commentario ſuo poſtea in cap. 6. Ioannis, & 26. Matth. veniam precetur à Deo & Eccleſia, quòd multos Zuinglij hæreſi de cæna Dominica faſcinauerit. Quid igitur iſte deinde in Anglia docere potuerit, pro Caluini partibus promouendis, omnes iudicent.

Ep. ad Norimberg. item ep. ad Eſtingenſes.

Funct. in Chronol. Lauater in hiſt. ſacrā.

333 Alter verò, hoc eſt, Petrus Martyr, quàm probe cùm Caluinianis conſentiret, ex colloqiuo illo Poſſiaco, Catharinæ de Medices Galliæ Reginæ permiſſu, no-

De Petro Martyre.

mine filij Caroli IX. anno Domini 1560. inter diuerſos diſſentientium religionum profeſſores inſtituto conſtat, in quo Petrus cùm Caluiniſtarum opinionem nouam, de cæna Domini audiuiſſet; clara voce ab illis diſſenſit, libereq. proclamauit, ſe ſpectrum hoc ab illis in Euchariſtia conſtitutum monſtrumque, quo re ipſa quidem Chriſti corpus abeſſe, reipſa tamen in Euchariſtia ſumi affirmabant, nunquam pro ſua ſe parte approbaturum.

Spenceus in Apolog.

Puritanorum diſſenſio.

334 Sed vt propius adhuc domum veniamus; quid, quæſo de hoc ipſo Elizabethæ Euangelio, quod tantopere nobis per edicta obtrudit, ſentiunt ipſi ſui concionatores Anglicani? quid ſcribunt? quid profitentur? Certe Guil. Gilby, vir non infimi apud eos ordinis, cùm de poteſtate Eccleſiaſtica in perſonam Regiā tranſlata, Anglos Scotoſq. admonet; his verbis vtitur. Monſtroſus ille aper, Henricus octauus, omnino caput Eccleſiæ ap-

Gilby in admonit. ad Angliā & Scotiam pag. 70.

pellari

pellari voluit, ſub pœna perduellionis, ,,
atque ſic de loco ſuo deturbauit Chri- ,,
ſtum, cui ſoli id competit, & in hoc nihil ,,
erat melior Romano Antichriſto, qui eo ,,
nomine ſeipſum Deum facit. hæc ille. ,,
Quæ cùm Elizabethæ quoque conuenire
poſſint, quòd illa tanquã proditores occi
dat, qui hanc ab illa ſibi aſſumptã autho-
ritatem ſupremam Eccleſiaſticã negant;
quàm rectè cùm Caluinianis iſtis puris
in Euangelij negocio conſpiret, facilè
eſt perſpicere.

335 Quod ſi quis hanc eſſe dicat vnius tantum hominis, vel in vno tantum articulo, diſſenſionem, proferam totius multitudinis (eorum qui Puritani, à pura Caluini ſectanda doctrina nominantur) conſenſum, qui ſcripto publico comitijs exhibito, vniuerſam ferè religionem, quæ hodie in Anglia, authoritate regia defenditur, & Euangelium hoc loco ab Edicto vocatur impugnant, rident, & conuellũt. Scribunt enim, ſectam hanc errores con-

Puritanorũ à Regina diſſenſio.

Admonit. 2. ad parlament. præf. pag 3. 4. 14 & deinceps.

„ tinere penitus intolerabiles, & manife-
„ ſtam à Chriſto defectionem; verbum Dei
„ circumciſum eſſe in Anglia & alligatum;
„ Sacramenta corrupta & profanata; ſta-
„ tas in Eccleſia Anglicana precandi for-
„ mulas, fœdos continere abuſus, varias &
„ impias battologias, mendacia aperta,
„ ſtoliditates vel manu tractabiles, mul-
„ taq. cùm Scripturis diuinis pugnantia;
„ Pſeudoepiſcopos Anglicanos meras eſſe
„ reliquias ſeminis Antichriſtiani, bellum
„ Chriſto indicere, ideo ſic de illis ſentien-
„ dum eſſe omni vere Chriſtiano, vt de iu-
„ ratis planè Chriſti Eccleſiæq. ſuæ hoſti-
„ bus; reliquos reipub. Anglicanæ rectores,
„ politicos & atheos, ſiue Iudæorum, ſiue
„ Turcarum, ſiue Hypocritarum Angliæ
„ proteſtantium partes tueantur, perinde
„ illis fore in die Domini; quando Sodomæ
„ & Gomorræ tolerabilius erit quam ipſis
„ iudicium. hæc illi.

Libri Puritanorũ recẽter editi.

336 Denique Martinus Marprælatus, cæteriq. Puritani, qui recẽtiſſime quidem,

ſed omnium longe acerbiſſimè, inuidioſiſſimèq. contrà præſentem Angliæ ſectam, quam Regina vocat Euangelium, ſcripſerunt, hanc generalem propoſitionem tuentur, nimirum, quòd poſt tot annorum diligentiſſimam, acerrimamq. frumenti huius Euangelici cribrationem, quicquid expreſſum eſt bonæ puræq. farinæ (vt ipſiſſimis eorum verbis vtar) id totum penitus ad ſe, ideſt, ad Puritanorum ſectam tranſijſſe; reliquis verò Zuinglianis, Lutheranis, vel Proteſtantibus, Reginæ religionem defendentibus, furfur tantum, & ſiliquas remanſiſſe. Quid igitur eſt, quòd Cecilius toties nobis tamq. ſplendide Euangelium hoc ſuum nominet, quod ipſis etiam Caluinianis teſtibus furfureum eſt & impium? Zuinglianis phanaticum & faſcinatorium? Luthero patri diabolicum? Henrico Regi hæreticum?

337 Cùm in huius ergo ſpecioſæ vocis, Euangelij, obtentu, tàm parum Reginæ

Secundum præmunitionis caput de armis.

tibique, Cecili, poſitum eſſe præſidij videamus; intueamur tandem, quid certæ ſpei aut ſecuritatis, armorũ fiducia (quod ſecundum fuiſſe præmunitionis veſtræ genus meminimus) vobis hac in re præſtare poſſit aut debeat. Et primò quidem, vt prætercam, quòd in cauſa perdita & iniuſta (quam vos tamen iuſtiſſimam appellatis) nulla potentiæ humanæ magnitudo ſatis munita eſſe ſoleat, contrà cæli robur, quod innocentiæ ac veritati opitulari ſolet; certè; ſi vel humanarum etiam virium momenta æquis lancibus æſtimare volumus, de Anglia hodie veſtra meritiſſimò dici poteſt, quod olim de Moab
Iſa. 16. dixit Propheta Iſaias: Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ſuperbia
„ eius, & arrogantia eius, & indignatio eius
„ plus quàm fortitudo eius.

338 Quæ enim maior ſuperbia audita eſt in terris vnquam, quàm vniuerſam hominum ſocietatem præ ſe contemnere, non tantum præſentium, ſed etiam præ-

Superbia Anglorum.

teritorum, & eorum omnium iudicijs iudicium ſuum in rebus etiam grauiſſimis anteponere? Quæ ineptior arrogantia, quàm Monarchis & principibus longè ſe potentioribus, ſine vlla cauſa, ſine vlla modeſtia petulanter inſultare? ventos Hiſpaniæ inanes, vtreſque inflatos tàm contumelioſe, ridiculèq. nominare? Quæ impotentior indignatio, quàm omnes circumquaque prouincias, regna, regiones & gentes (quod ſuprà vos facere demonſtratum eſt) importunis iniurijs perpetuo laceſſere? Et tamen fortitudo veſtra, ſiue externas vires, ſiue domeſticas ſpectemus, valdè quidem modica & exilis eſt. Nam foris nullum planè principem amicum habetis (quod ſciam) qui veſtra non adiutus pecunia vſui eſſe poſſit. Domi verò ſubditi, tàm diuiſi, diſſecti, ac diſſentientibus inter ſe tùm animis & iudicijs, tùm voluntatibus etiam & affectibus cognoſcuntur, partim ob religionis pugnas & odia, partim ob regnandi ſucceſſionis

contro-

controuerſias, partim ob iniurias & oppreſſiones toleratas, vt quid facturi ſint, cùm res in diſcrimen venerit, neque vos, opinor, ſcire, neque ipſi fortaſſe ſtatuere in præſentia poſſint. Maior ergo ſuperbia veſtra Moabitica, maior arrogantia hæretica, maior indignatio ſtulta, quàm vel fortitudo, vel prudentia veſtra eſt. Quod cùm ita ſit, quid niſi reliquã illam Prophetæ quoque comminationem per implendam exiſtimemus, cùm diſcrimen hoc inciderit, qua proximè poſt verba
» allata, ſic comminatur? Idcirco vlulabit
» Moab ad Moab, vniuerſus vlulabit Moab. quod de veſtro quoque die, qui indies expectatur (nec facile poſſe vitari videtur) intelligunt vniuerſi.

Inanis Anglorum cohortatio ad ſuos.

339 Neque ſatis eſt ad homines veſtros animandos, vulgaris illa & triuialis cohortatio, quam adhibet Edictum, de iuſtitia, honore, vtilitate, & neceſſitate iſtius veſtri certaminis, quod pro tuenda patria ſuſcipiatur, pro vxoribus, pro liberis, pro

focis,

focis, pro aris, pro poſteris, idq. contrà exteros rapaces, & domeſticos proditores, ac monſtroſos patriæ impugnatores, & ſimilia. nemo enim homo eſt alicuius prudentiæ, qui neſciat iſtam cantilenam, ab ipſis etiam latronibus vſurpari ſolere, cùm locum aliquem rapuerint contrà verum Dominum tuendum. Quod in rebus quoque Flandricis quotidie cernitur, vbi ſi aliquam ſeditioſi ciuitatem, aut oppidum interceperint, nullo alio quàm latrocinij iure, ſtatim tamen immutato magiſtratu, omnem illam latrocinij ſui contrà regem Dominumq. defenſionem, pro aris & focis, pro vxoribus & liberis iuſtiſſimam eſſe dimicationem decernunt.

340 Deinde, ſi rem ipſam veſtram Anglicanam momento ſuo expendere voluerimus, ſepoſitis tenebris, & fraudum iniectarum inuolucris: quorumnã quæſo vxores iſtæ ſunt? quorumnã liberi? quorumnam familiæ, dignitates, honores, poſſeſſiones, diuitiæ, poſteritates, quas Tyranni Anglicani.

Edictum tantopere clamitat defendendas eſſe, contrà vim externorum, domeſticorumq. proditiones? An aliorum fortè ſunt, quam Cecilij & Baconi, & paucorum reliquorum eis adhærentium, qui ex aliorum rapinis, Patriæq. ſuæ ſpolijs & interitu ſe expleuerunt? An aliorum ſunt, quàm paucorum hominum nouorum, qui per cæterorum ruinas, per antiquæ nobilitatis cõtemptum & oppreſſionem, per artificioſam læthalemq. ſuæ Principis deceptionem, per Dei maieſtatis offenſam, per religionis exterminium, per legum omnium violationem, & Anglicani nominis dedecus opprobriumq. ſempiternum, ex infimo puluere, in altiſſima montium cacumina ſe extulerunt? nullo modo: hunc tamen potentiæ ambitionis, & tyrannidis ſuæ locum vt tueantur, vt diuitijs affluant, vt voluptatibus luxurientur, vt authoritate polleant, & cæteris omnibus dominentur, faſtum hunc ſuum, vniuerſæ reipublicæ ſtatum appel-

lant,

lant,ad eumq. omnes defendendum,non ſolum obiectu corporum, ſed ſubſtantiæ etiam honorumq. diſtractione, immo ipſa etiam animarum ſuarum internecione concurrere iubent.

341 Sed contrà quos hoſtes certamen iſtud inducitur? Contrà eos nimirum,qui nihil tàm cupiunt in hac vita, quàm antiquum Angliæ ſplendorem reſtitui, antiquam populi libertatem, antiquam nobilitatis dignitatem, antiquam Dei ompotentis religionem, antiquum Eccleſiæ cultum, antiquam legum & ſtatutorum authoritatem, antiquam iuſtitiæ, ac iuris obſeruantiam, antiquam pacem & concordiam,& antiquam denique totius regni felicitatem reduci: hocq. ſanè,ſi fieri poteſt (quod fieri certe poteſt) ſine cuiuſquam iniuria, incommodo, vel moleſtia eorum etiam, qui in præſentia rebus omnibus potiuntur. Contrà hos tamen tàm amantes veſtri boni, tamq. cupidos dignitatis veſtræ cõmodorumque,

Hoſtes ficti veriſsimi amici Angliæ.

& ornamentorum omnium, tùm æternorum, tùm etiam temporalium, armat vos (ò Angli) incenditq. Cecilius, ſuarum vtilitatum priuatarum cauſa, hos inimicos, hos raptores, hos perduelles, hos præcipites patriæ deuaſtatores inclamans. Sed veſtræ prudentiæ erit, non tàm verborum furias, & ferocitatem, quã res ipſas attente conſiderare. Rex Hiſpaniarum certè, ne cùm ſuis quidem rebellibus hæreticis ſeuere vnquam egit, acerbiſſimè licet prouocatus, vt vidiſtis; quid igitur de amicis, quid de Catholicis, quid de afflictis vicinis, quibus prodeſſe cupit, atrociter poteſt cogitare?

Cecilij fraus.

Rex Hiſpaniæ.

342 Romanus Pontifex, Anglicano Regno, perpetua quadam illius ſedis conſuetudine, & velut hæreditate, amorem ſemper præcipuum, ab initio vſque receptæ fidei Chriſtianæ, rebus omnibus præſtitit, & hodie exulibus Catholicis paterne admodum ſubſidia ſubminiſtrat, & ipſis etiam hæreticis Anglicanæ gentis

Pontifex Romanus.

humanitatem vbique extraordinariam (vt ante dixi) exhibendam curat. Alanus & Perſonius homines ſunt eo in vos omnes & Patriam affectu, vt de illis dici poſſit, quod D. Paulus de Sancto Epaphrodito Philippenſium Apoſtolo ſcribit: Quòd propter opus Chriſti in vobis vſque ad mortem acceſſerunt. Et quod de Priſcæ & Aquilæ in ſe ſtudio idem Apoſtolus dixit: quòd pro animabus veſtris ceruices ſuas ſuppoſuerunt. Et veriſſimè quoque proprijſſimèq. quòd idem Dei ſeruus, de ſuo erga Corinthiorum ſalutem zelo, teſtatum reliquit: Quòd libentiſſime impendent, & ſuperimpendentur ipſi pro animabus veſtris, licet plus vos diligentes, minus diligantur. Quid igitur mali ab iſtis viris, vel actoribus, vel procuratoribus, vel ſuaſoribus timeri poteſt? Tota (mihi credite) Cecilij fabula hæc eſt, quod de periculis, de proditionibus, de inuaſionibus, de rapinis, de ſpolijs, de crudelitate deſignata, apud vos

Card. Alanus, & P. Perſonius.

Philip. 2.

Rom. 16.

2. Cor. 12.

decantatur. Ille enim ſibi ſuiſq. timet, non vobis, ille commodis ſuis proſpicit, non reipublicæ.

Tertiũ Sectionis caput.

343 Veniamus tandem ad tertium & poſtremum iſtius ſectionis caput, quod totius quoque Edicti atrox quoddam epiphonema dici poteſt, quo ſæuiſſima quædam & inhumaniſſima, nec vnquã, opinor, vllius antiquorum perſecutorum odio vel acumine inuenta inquiſitionis forma, contrà Catholicos omnes, præcipuè verò contrà Presbyteros, & Seminariorum alumnos traditur, vt omni nimirum diligentia & induſtria, omni arte ac vigilantia examinentur, diſcutiãtur, quærantur ad ſupplicium, nomina, cognomina, patria, profeſſio, habitus, vitæ genus, conditio, ætas, habitatio, conuerſatio litteris mandentur, vt nulli parcatur, vt non ſolum magiſtratus, ſed omnes etiam patresfamilias, domini, hoſpites, diuerſoriorum, ac tabernarum caupones ac ſtabularij, inquiſitores ſint, & ad hoc idem

Mira inquiſitionis forma.

examen diligentiſſime faciendum grauiſſimis pœnis teneantur, ita vt nullibi in Anglia iam iter facere, nullibi conſiſtere, prandere, cœnare, aut dormire cuiquam liceat, quin ſæpius quotidie in totius vitæ examen vocetur. Quam rem dum attentius perpendo, multa ſanè obuoluuntur animo, quæ plurimarum cogitationum de vniuerſo hoc negotio argumenta præbent.

344 Primò enim conſiderare ſoleo fallacem fictamq. hæreticorum manſuetudinis ſimulationem, qua obſtupere ſolēt, contrà moderatam æquiſſimamq. Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam, antiquiſſimis legibus tùm Eccleſiaſticis, tùm imperialibus ſancitam, quam adhibere ſolet ad hæreticos pertinaces, vel reducendos, vel caſtigandos; cùm ipſi vbicunque dominatū acquiſierint, ſine omni lege ac iuris prætextu, ſint ipſis Domitianis, Decijſq. in Catholicos crudeliores, qui tamen Catholici cùm nūquā ſectæ eorū profeſſionē Hypocriſis hæreticorum.

ediderint, nullo omninò iure ad eam cõpelli poſſunt. Atque hoc cæteris nationibus ad cautelam ſeruiat, ne vllis verborum blandimentis aut lenocinijs, hæreticorum ſe iugo ſubdendos permittant.

Audacia Cecilij.

345 Secundo loco, cogito & miror ſanè huius facti audaciam, quòd in populo nimirum libero, & magnorum olim animorum, Cecilius homuncio è multis, contemptibilis, iſtiuſmodi auderet proferre Edictum. Nam legimus quidem Epiſcopum ſanctum Victorem Vticenſem hæc verba de Genſerico hæretico Vandalorum Rege ſcripſiſſe. Terrebat, inquit, præceptis feralibus, vt in medio Vandalorum noſtri nullatenus reſpirarent, neque vſpiam orandi, aut immolandi concederetur gementibus locus. Et hæc quidem erant peracerba, ſed in medio tamen Vandalorum, gentis nimirum inimicæ, præcipiebantur. At noſtra hæc multo acerbiora ſunt, nam non ſolum orandi, aut immolandi Catholicis

Vict. lib. 1. de perſecut. Vãdal. pag. 417.

Angli-

Anglicanis demitur facultas, de quo ſanctus Victor vetuſtiſſimis illis temporibus tantopere querebatur, ſed etiam viuendi & ſpirandi, hocq. domi in Anglis & inter Anglos, & in ipſius quoque patriæ conſpectu complexuq. cernitur.

346 Idem etiam Victor de Hunnerico Genſerici filio, patre nequiore ſcribit, quòd leges omnes, & pœnas; quas præteriti Principes, ac Imperatores Catholici in hæreticos ſancierant, ipſe in Homouſianos, ideſt, Catholicos conuertit, iniquiſſimum ſanè decretum; ſed tamen religionis pœnam in religionis negotio non diſſimulabat: at Athei Anglicani latronum tantum pœnam ac perduellium, in religionis Catholicæ profeſſores ſtatuunt, quod multò eſt iniquius. *Lib. 2. pag. 430.*

347 Et quod omnem ſanè impudentiam ſuperat, & inſanum planè viris modeſtis videri poſſit, non veretur Cecilius, extrema prope Edicti huius clauſula, quò firmius lectoris memoriæ res inhæreat, **Summa impudentia.**

aſſerere, hanc nouam crudelitatem, quæ his nouis ſtatutis in viros Catholicos & Sacerdotes exercetur: *Non eſſe contrariam, ſed conſonam omnino antiquiſſimis regni Anglicani legibus, optimiſq. eiuſdem conſuetudinibus*. quo neſcio profecto an aliquid vnquam prolatum ſit humano ore inuerecundius. Quæro enim à te, Cecili, quo principe regnante latæ fuerunt leges hæ antiquiſſimæ in Catholicos, quas iſtis veſtris conſonas eſſe affirmas? Britannorum ne tempore, an Angloſaxonum? Primum enim Britannorum regem qui fidem Chriſtianã complexus eſt, noſti fuiſſe Lucium, poſtremum autem Cadualadarum, vtrumque ſanctum, inter quos, qui medio regnarunt tempore (quod quingentorum, & eo amplius annorum fuit) tantis & tàm continuis Romanorum, Pictorum, Scotorum, Saxonumq. bellis premebantur, vt leges de religione condere minime vacaret. Nec ſi vacaſſet, libuiſſet tamen vnquam

Lucius primus Britanorum regum Chriſtianorum, & Cadualadarus poſtremus.

de iſtiuſmodi in ſuos crudelitate cogitare, cùm eos, qui ex ipſis Chriſtiani erant, pijſſimos, Catholiciſſimoſq. fuiſſe conſtet ex operibus quæ reliquerunt, Eccleſijs, nimirum; ædibuſq. ſacris exædificatis.

348 Primus deinde Regum Angloſaxonum, qui primò fidem Chriſti recepit, Ethelbertus rex Cantij fuit, ab eo autem ad ſanctum vſque Edouardum, totius Angliæ Monarcham, qui generationem illam Angloſaxonum clauſit, religionem Romanam, à Beato Gregorio Papa illius nominis primo, per ſanctum Auguſtinum ſocioſq. acceptam (quod tēpus quingentorum etiam annorum durationem ferè æquat) conſeruatam fuiſſe ſemper religioſiſſimè ab omnibus Angliæ regibus Chriſtianis, annales etiam veſtri hæretici teſtantur, & ægrè ferunt.

Reges Angloſaxones

349 Poſt hæc ingreſſus eſt Guilielmus Normānorum Dux, à quo ad Henricum octauum Elizabethæ patrem, decem &

Normānorum regum in Anglia.

octo reges continenter regnarunt, qui omnes, cùm eſſent ſine controuerſia religionis Romanæ ſectatores, quis eorum credi poteſt huiuſmodi leges quas tu affirmas condidiſſe? immò paulo ante oſtendimus, Henricum ipſum octauum, qui primus à ſumma illa obſeruantiæ ſinceritate defecit, excepto vno tantum de poteſtate Pontificis Romani articulo, cætera omnia pro Catholicis ſtatuiſſe, tenuiſſe, defendiſſe, & ſeueriſſimas leges in Caluinianos omnes tùm ſanxiſſe, tùm etiam exercuiſſe. Vbi ergo ſunt leges iſtæ antiquiſſimæ regni Anglicani in Catholicos latæ, quas Edictum affirmat his nouis veſtris ſanguinarijs omnino eſſe conſonas? vbi, inquam, quando, à quo, contrà quos, qua de cauſa, fuerunt conditæ? vbi ſunt cōſuetudines illæ, quæ aſſeruntur, de caſtigandis Catholicis? quo tempore cœperunt? quando fuerunt in vſu? quæ hominum memoria, qui libri, quæ litteræ, quod teſtimonium, quod veſtigium extat?

tat? an mentiri licet palàm ſine omni verecundia? an Edicto etiam regio affirmare permittitur, quæ puerorum omnium oculis, vocibuſq. reuincantur?

350 Sed homines ridiculi omniſq. antiquitatis contemptores, vellent tamen vulgo credi iſta ſe noua & inſolentiſſima, ſine omni exemplo non facere: eamq. ob cauſam, ementitas neſcio quas antiquitatis vmbras, apud plebem indoctam iactitant; ſed viri prudentiores tàm ineptam impudentiam mirantur planè & rident. Nam vident nullam poſſe eis antiquitatem ſuffragari, niſi vel antiquorum gentilium, aut Arrianorum tyrannorum, Eccleſiam Chriſti perſequentium proferāt. In Anglicana enim repub. clariſſimum eſt, quòd prima omnium Elizabetha fœmina, hoc flagitium impietatemq. euertendæ religionis Catholicæ aggreſſa eſt, ita vt quod encomium apud Romanos, Tertulliano, & Euſebio teſtibus, habuit Imperator Nero, vt primus omnium di-

Miſerrimus hæreticorum fucus.

ceretur, qui manus ſanguinarias in Chriſtianos miſerit, idem habitura ſit ſine dubio in æternũ apud Anglos Elizabetha, quòd prima in Catholicos crudelitate
„ ſæuierit. Ad omnia Neronis ſcelera (in-
„ quit Euſebius) hoc vnum deeſſe videbatur, quo tanquam titulo inſigniri debue-
„ rat, quòd primus ex Imperatoribus Ro-
„ manis, religioſi cultus, qui ſacro numini
„ tribuitur, hoſtis infeſtus declaretur. Cui adiungit Tertullianus hæc verba, quæ an Elizabethæ quoque conueniant, iudicent
„ alij. Tali (inquit) dedicatore damnatio-
„ nis noſtræ gloriamur, qui enim Neronem
„ nouit, facile intelliget, non niſi magnum
„ aliquod bonum ab illo potuiſſe dam-
„ nari. Atque hæc omnia cùm ita ſint, miror ſanè (vt dicere ceperam) Cecilij noſtri non tantum impudentiam, ſed imprudentiam etiam & temeritatem, quâ iſta effutire voluit, & Edictum tàm barbarum & inſolens vniuerſo Regno Angliæ obtrudere. Suſpicari enim potuiſſet, non tã-

Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 4.

Ter. apol. adu. gent.

tum hæc à nobis alijſq. reſponderi poſſe, ſed domi etiã difficultates ſibi naſci poſſe non facile diſſoluendas, exaſperatis per huiuſmodi inſolentiam, & perfrictiſſimæ frontis audaciam, hominum animis.

351 Certè litteris prodidit Euſebius Cæſarienſis, accidiſſe quiddam ſuo tempore, perpetua memoria dignum. Nam cùm duo potentiſſimi crudeliſſimiq. Imperatores ſimul adeſſent in ciuitate Nicomedienſi, Diocletianus nimirum & Maximianus, & edictum atrox ac barbarum pari impudentia, de euertendis vniuerſis Christianorũ Eccleſijs, magna terroris maieſtate propoſuiſſent: Vir quidam illuſtriſſimus (vt Euſebij verbis vtar) incredibili amore erga Deum & ardenti fide incitatus, ocyus prodijt in medium, & illud in aperto & publico loco affixum, tanquam prophanum & maximè impium manu diuellens dilacerat. Atque iſte primus martyrum, qui tunc occubuerunt, ad hunc modum eximie nobili-

Illuſtre exẽplum.
Euſeb. lib. 8. hiſt. c. 5.

tatus, talia cruciamēta perpeſſus eſt, qualia erat veriſimile, eum qui tantum facinus auderet ſubiturum. In quibus tamen conſtanti & virili animo, pacato etiam & tranquillo, ad extremum vſque ſpiritum conſtitit. hæc Euſebius.

352 Et miror profectò Cecilium (vt dixi) iſtiuſmodi quiddam non veritum eſſe, cùm hoc Reginæ Edictum, illo Diocletiani, & Maximiani nonnullis in rebus multo iniquius & atrocius, ſuaderet. Iam enim expertus fuerat in Ioanne Feltono, nobili viro, nobiliſſimos quoque quibuſdam Catholicis Anglicanis non deeſſe animos; is enim ſpreto mortis cruciatu, Pij Quinti Pontificis Maximi declaratoriam ſeu excommunicationem, depoſitionemq. contrà Elizabethā latam, ad portas valuaſq. Pſeudoepiſcopi Londinenſis, loco nimirum patenti ac publico affixit, eamq. ob rem glorioſum martyrium conſtantiſſimè ibidē pertulit.

Ioānes Feltonus nobilis martyr. anno 1571.

353 Immo miror Cecilium non timuiſ-

ſe, ne

ſe, ne Mathathias aliquis exurgeret cùm filijs & amicis ſuis, de quibus ſcriptum eſt per Spiritum ſanctum, quòd cùm multi de populo Iſrael impijſſimis Antiochi Regis Edictis ob metum conſenſiſſent: *1. Mach. 2.*
» Matathias & filij eius (inquit Scriptura) conſtanter ſteterunt, & eis qui ab Antiocho mittebantur, reſponderunt; etſi omnes gentes Regi Antiocho obediant, vt diſcedant vnuſquiſque à ſeruitute legis Patrum ſuorum, & conſentiant mandatis eius; nos obediemus legi patrum noſtrorum, propitius nobis Deus &c. Et iterùm: Zelatus eſt Mathathias legem Dei, ſicut fecerat Phinees, & exclamauit voce magna in ciuitate dicens, omnis qui zelum habet legis, exeat poſt me &c. Et congregati ſunt ad eum omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis additi ſunt ad eos, & facti ſunt illis ad firmamentum, & collegerunt exercitum, & percuſſerunt peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua. »

Exemplum Mathathiæ

Num. 25.

Hæc

354 Hæc referunt diuinæ litteræ de zelo ac fortitudine glorioſiſſimi Mathathiæ, cùm vndique ſe anguſtijs coarctatum cerneret, ita vt vel Dei cauſam neceſſario proderet, vel regi reluctaretur. Et certè, vt hoc ferox Antiochi Edictum, de compellendis Iudæis ad leges patrias & religionem violandam, minus prudenter promulgatum fuit, & magnas ei moleſtias, damna, & interitum etiam tãdem attulit; ita quoque ſuſpicari debuiſſet Cecilius, ſimile aliquid in Anglia poſſe contingere, præſertim cùm verba illa addidit, Reginæ nomine, in fine Edicti: *Se firmiter omnino & determinate ſtatuiſſe, nullum prorſus permittere fauorem, aut mitigationem, ob cuiuſcunque perſonæ reſpectum, cuiuſuis fuerit dignitatis aut conditionis*. quæ verba cùm obſtinatiſſimum Reginæ in re tàm iniuſta & inuſitata propoſitum demonſtrent, omnemq. ſpem veniæ, gratiæ, & mitigationis excludant, nullamq. in poſterum cuiuſuis perſonæ

Imprudens Antiochi Edictum.

Nulla ſpes mitigationis in Anglia.

digni-

dignitatis, gradus, aut conditionis rationem eſſe habendam pronuncient (quod Principes tamen, vel prudentiæ cauſa, verbis profiteri non ſolent) quidni ad vltima quæq. homines impellant, & patientiam læſam (vt habet prouerbium) in furorem planè & deſperationem conuertant, Anglorum maxime, quorum annalibus, ingentes turbæ, Regumq. pericula & exitia, ex longe minoribus cauſis, quam temporis progreſſu hæc eſſe poterit, frequenter narrantur?

355 Intereà tamen Catholici ea ſe maxime re cõſolari poſſunt, qua doctiſſimus olim Philo ſe, ſuoſq. Iudæos tunc præcipue ſolabatur, cùm ab Imperatore impijſſimo Caio Caligula repulſam ſuperbiſſimam de omni venia, & gratia tuliſſent. Dixit enim, eò maiorem ſe ſpem habere obtinendi omnia à Deo, quò petulantius fuerat à Caio reiectus; & quamquam apud terræ inquit Imperatorem nihil præualuimus, valuimus tamen apud

Exemplum de Philone.

Philo lib. 2. de legat.

Euſeb. lib. 2. hiſt. cap. 5.

Ruff. cap. 6.

cæli Monarcham, vt huius in nos ſcelera ſeuerius caſtiget, quod breuiſſimè deinde Caij interitu confirmatum eſt.

356 Sed parum videtur penſi habere Cecilius, quid periculi Elizabethæ vel reipub. immineat, modo ipſe cupiditati & odio ſuo in Catholicos ſatisfaciat. Solent enim perditi homines, cùm peſſimis conſilijs principem aliquem in ſcopulos, & ſyrtes ineluctabiles impulerint; ſuæ maiorem exiſtimationis, & commodi habere rationem, quàm principis ſalutis, & incolumitatis, quem facilius ferunt omnino agi præcipitem, quàm ſibi quicquam de curſu gloriæ, quē tenent, ſtatuāt retrocedendū. Id teſtantur annales Anglicani, de Regis Ioannis, de Edouardi ſecundi, & de Richardi quoque ſecundi, aliorumq. Regum Angliæ perfidiſſimis Conſiliarijs, qui admoniti etiam de reip. periculis, recipere tamen ſe noluerunt, ſed Dominos ſuos in extrema quæq. exitia præcipites egerunt. Quòd cùm Cecilius quoque fa-

Deſperatiſſimum Cecilij propoſitum.

ciendum ſibi ſtatuiſſe videatur, nihil eſt quod diutius in iſtius Edicti, vel impietate, vel imprudentia, vel importunitate, quam omnes vident, demonſtranda laboremus, ſed tantum, vt eum hominem admoneamus, non ſolum exemplorum externorum de miſerabili exitu virorũ ambitioſorum, qui ſe principeſq. ſuos, perditiſſimis conſilijs in extremas calamitates coniecerunt (quales erant Peucetius Cultianus, & Theotenus, Iouio Maximio, & Macrinus quæſtor impijſſimus Valeriano Imperatoribus, Nicatius etiam Hunnerico Regi Vandalorum, qui omnes vnà miſerè perierunt) ſed domeſticorum etiam, quæ pauca non ſunt. Nemo enim ignorat Perſij Gaueſtoni, & duorum Spẽceriorum interitum ſub Edouardo Rege ſecundo, quem ipſi tamen ſecum in ruinam traxerunt, aliorumq. multorum ſub alijs Angliæ principibus à me iam nominatis.

Euſeb. lib. 9. c. 9. & lib. 7. cap. 9.

Holinch. in vita Edouardi ſecũdi.

357 Quorum omnium infeliciſſimorum

Cecilij exitus niſi curſum mutet.

hominum probroſum exitum, non video certè, quomodo Cecilius quoque nõ expectet, cùm longe omnino pernicioſius, in Deum homineſque, in rempub. & Patriam, in nobilitatem, plebemq. & omnes omnium ordines peccauerit, laſciuierit, inſanierit, quàm vlli vel Gaueſtonij, vel Spencerij, vel alij reipub. Anglicanæ Catilinæ, aut Cethegi, vaſtatores, decoctores, aut perditores; cùm illi principum gratia abuſi ſint tantum ad quæſtum, aut libidinem ſuam particularem, hic vero non ſolum ad illa, ſed ad cultus etiam diuini, qui ab initio vſque fundati regni permanſerat, extirpationem, ad nobilitatis antiquæ oppreſſionem, ad bonorum omnium afflictionem & ad totius regni conuulſionem, extremumq. periculum. Si igitur Ieroboami vniuerſa domus & familia, ſi Achabi & Iezabelis generatio, & ſeptuaginta ſimul filij, ob parentum peccata, iubente Domino, ſine vlla miſericordia exſcindebantur: quid Cecilij li-

3.Reg.13. 14. 15.

4.Reg. 9. 10. 11.

beris, & nepotibus? quid vniuerſæ eius domui, quā modo diuitijs, opibus, honoribus, affinitatibus fruſtra vallare & ſtabilire nititur, à Domini manu expectandum erit, cùm furor eius iudicium arripuerit, aut cùm Angliæ aliquando miſerebitur (nam certè miſerebitur) & cùm Iſraelis diſperſiones congregabit? Quid (inquam) miſeris iſtis, præter vltimum exterminium, & opprobrium ſempiternum expectandum erit? niſi radix ipſe peccati Cecillus (quod ei profectò non fuerit perdifficile) rationem aliquam prudentiorem inierit, qua res moderatius ſaltem geri poſſint, ſi corrigi nequeant, aut componi. Quia nullum violentum eſt perdurabile, & qui vltima quæq. experiri vult, extrema etiam pericula illum ſubire neceſſe eſt.

358 Hæc Cecilio dixerim, cuius in poteſtate Reginæ eſſe voluntatem minime dubito. Cùmq. illa (vt initio dixi) propenſione ſua, magis in ea quæ pacis &

quietis

Conſilium vtile Reginæ.

quietis ſunt, inclinetur, quàm ad turbulenta; nec ad iſta ſæua, & ferocia, præterquam Cecilij ferè ſuaſu & impulſu efferatur: cogitare tamen ipſa debet, non ſolū Cecilium, hanc culpam tandē præſtaturum, cùm calamitates influxerint, ſed ſibi potiſſimum creari periculum, cuius nomine, potentia, & authoritate mala nunc exercentur. Cogitare debet Regina ſenectutem iam ſe ingreſſam eſſe, qua quieti potius & ſecuritati ſuæ proſpicere, quam nouorum periculorum ſe fluctibus ingurgitare, expediret. Et ſi Deus nullus eſſet, qui ſuperne hæc vindicaret, tot & tantas ſubditorum iniurias, oppreſſiones, mactationes, ingentibus periculis vacare non poſſe. Malum eſſe diuturnitatis cuſtodem, metum & tyrannidem, homo enim pro anima ſua (vt quidam ait) omnia dabit, omnia audebit, omnia experietur. Deſperatio enim, vt nihil ſperat, ita nihil quoque formidat; multum humani ſanguinis iam

eſſe fuſum, addo etiam, Chriſtiani, Catholici, Anglicani, generoſiſſimi, hominum nimirum innocẽtium & inermium, adoleſcentium nobilium, & doctiſſimorum, qui neque per ætatem, neque per educationem quicquam violenti contrà Reginam egiſſe, aut ſuaſiſſe, aut cogitaſſe præſumantur, ſed qui vtiliſſime potius Reginæ, ac reipubl. ſuæ, præclariſſimis ſibi datis à Deo talentis inſeruire potuiſſent; quorum pluſquam centum, qui in ſeminarijs inſtituti, & magnis dotibus virtutis litterarumq. ornati erant, cùm Cecilij carnifices publicè iam interemerint, nec quiſquam eorum repugnauerit, aut veniam petierit, aut gratiam vitæ oblatam admiſerit, aut verbum vllum de proditionibus, conſpirationibus, aut ſeditionibus confeſſus fuerit; cogitandum erit Reginæ quo tandem iſta progrediantur, vbi conſiſtent, quomodo finientur.

359 Si enim perſuaderi ſibi à Cecilio permiſerit Elizabetha hanc tantam ſub-

Verus modus pacificationis.

ditorum carnificinam, periculo omni carere, imprudentia eſt inſignis; ſi verò hos nouos hominum æſtus, & ardores in cauſa Catholica defendenda (vt loqui ſolent Politici) aliquando poſſe deferueſcere, id ſaltem ſperandum eſſet, ex Gamalielis conſilio, quo de Apoſtolis dixit

Act. 5.

ad Iudæorum principes. Diſcedite ab
» hominibus iſtis, & ſinite illos, quoniam ſi
» eſt ex hominibus cōſilium hoc aut opus,
» diſſoluetur, ſi vero ex Deo eſt, non pote-
» ritis diſſoluere illud, ne forte & Deo repu
» gnare inueniamini. Beneuolentia, inquã, & tolerãtia tentanda res eſſet, quod Germaniæ principes vt plurimum faciunt. Nam perſecutione, & preſſuris, & tàm iniquis abſurdiſq. præter omnem veritatem & rationẽ edictis, & tanta hominum domeſtica ſtrage & laniena, vſus iam experientiaq. eos ſatis (opinor) edocuit nihil proficí poſſe, ſed acriores longè fieri animos, promptioreſq. ad reſiſtendum.

Si ſpes

360 Si ſpes veſtra in eo poſita eſt, vt Seminaria tranſmarina aliquando diſſoluantur, inanis planè eſt & vana; illa enim per Dei gratiam firmioribus nituntur fundamentis, quàm ipſa veſtra reſpub. Anglicana. Conſtituta enim ſunt in regnis Catholicis, & potentiſſimorum pijſſimorumq. Principum fruuntur patrocinijs, quorum neque potētia ad defenſionem, neque munificentia ad ſuſtentationem, Deo iuuante, deerunt, & quanto vos maiori odio, acerbitate, tyrannide, hæc ipſa ſeruorum Dei domicilia perſequuti fueritis, tanto ferueтiori zelo hos Deus principes, alioſq. viros pijſſimos excitabit, qui illis patrocinentur. Alumni deinde deeſſe non poſſunt; hoc enim Dei curæ ac mirabili ſanè prouidentiæ incumbit, vt excitet, euocetq. (ſicut hactenus fecit) quos ad opus hoc ſanctiſſimum æterna ſua electione deſtinauit, qui cùm adoleſcentes vtplurimum ſint, & ætate florente; probabile eſt eos Cecilij iam decre-

Seminariorum firmitas.

piti,& Reginæ planè vetulæ annos poſſe tranſgredi, neque tot eorum domi occidentur à tyrannis, quot indies eorum loco enaſcentur, foriſq. inſtituentur, ad opus Dei ceptum perſequendum.

361 Quid ni igitur etiam hoc nomine Catholicos Anglicanos conſoler, quod viſuri ſint aliquando, idq. breui, perſecutorum ſuorum finem? Non enim (vt cætera omnia taceam) cõtrà hoſtes æneos, aut marmoreos certamen illis eſt, ſed cõtrà vnum vel alterum vetulum, & imbecillum, decrepitum, & exeſum, quorum odium & inuidia licet immenſa ſit; vires tamen limitatæ; vita breuis, & exitus incertus. Et quamquam infinita planè ſint, quæ hunc in locum conferri poſſint, ad conſolationem eorum, qui Chriſti cauſa, tàm acerba patiuntur (plenæ enim ſunt Apoſtolorum litteræ, pleni antiquiſſimorum patrum libri hoc argumento) hoc vnum tamen ſolummodo hoc tempore attingam, de gaudio nimirum, hac etiam

Conſolatio ad Catholicos Anglicanos.

in

in vita Dei ſeruis aliquando cōceſſo, cùm fracta inimicorum potentia, fortiſſima Dei manu liberatos ſe vident: ita vt canere poſſint cùm Propheta: Laqueus cōtritus eſt, & nos liberati ſumus, miſit de cælo Dominus & liberauit nos propter gloriam nominis ſui, pauperes à potente, & egenos de manu peccatoris, & ſecundum multitudinem dolorum noſtrorum conſolationes eius lætificauerunt animas noſtras.

Pſal. 123. Pſal. 5. 6. 71. 78.

362 Duo autem hac de re exempla ex duobus antiquiſſimis religionis Chriſtianæ ſcriptoribus, proferam, quibus inexpectatam afflictis ſalutem ingēti gaudio, tùm maximè Dei manum attuliſſe cernemus, cùm minimè ſperabatur. Et vnū quidem ex Euſebio Epiſcopo Cæſarienſi deſumptum eſt, qui de perſecutione grauiſſima & omnium acerbiſſima, ſub Maximino tyranno mentionem faciens. In ipſo, inquit, flammarum ardore cùm decem integros annos perſecutio duraſ-

Duo exempla ſolandi Catholicos

„ ſet, & plures ſuppliciorũ formæ nouaq.
„ cruciamẽta quotidie excogitarentur; tot
„ & tantis Deus tyrannum inuoluit calami-
„ tatibus bellorum, dolorumq. corporis,
„ alijſq. miſerijs, vt inuitus planè & furen-
„ tis inſtar, edicta ſua ferociſſima reuoca-
„ uerit, Chriſtianiſq. quos maximè oderat,
„ pacem & libertatem per vniuerſum pla-
„ nè imperium conceſſerit. Tunc (inquit
„ Euſebius) de repente in omnibus ciuita-
„ tibus Chriſtianorum, fieri conuentus fre-
quentes, crebroſq. iterum de more con-
greſſus, in ritibus ſuis obeundis, & tan-
„ quam lumen quoddam poſt tenebras ef-
„ fulgens licebat cernere. Tunc infide-
„ lium multitudo non parum obſtupefacta
„ incredibilem tantæ mutationis rationem
„ admirata, Chriſtianorum Deum magnũ
„ eſſe & verum exclamabat. E noſtris au-
„ tem qui perſecutionis certamen fideliter
„ & magno animo obijſſent, præ cæteris
„ omnibus ingentem animis lætitiam per-
„ cipiebant. At ſi qui fide ægri & infirmi,

Lætitia Chriſtianorum liberatorum.

" conſcientias habebant tempeſtate iacta-
" tas, remedium ſibi inuenire maturabant,
" his qui robuſti erant ſupplicantes, eorum
" dextram ſibi porrigi, vt deus ipſis propi-
" tius fieret. Tunc generoſi & magnanimi
" pietatis athletæ, metallorum afflictione
" liberati ad Patriã redierunt, hilariq. & læ-
" to vultu, & gaudio pene inexplicabili, per
" quamq. ciuitatem proficiſcentes cerne-
" bantur; ingentes etiam hominum cater-
" uæ, carceribus emiſſæ, per medias vias
" publicasq. plateas tranſeuntes, hymnis
" & pſalmis vbique Deum collaudabant,
" ſicq. itineris ſui deuorabant moleſtias.
" Quo perſpecto, ipſi etiam Gentiles, qui
" paulo antea captiuos nos & Patria eie-
" ctos, & crudeliſſimo ſupplicio deſtinatos
" neci dare magnopere expetebant, nunc
" mirabilem hanc mutationem factam cõ-
" ſpicientes, nobiſcum etiam de rerum e-
" uentu non parum lætari videbantur. hæc
Euſebius.

363 Sed aliud exemplum multo adhuc — Inſigne exẽplũ ex Nazianzeno.

illu-

illuſtrius eſt, quod Sanctiſſimus Gregorius Nazianzenus proponit, de mirabili Dei bonitate, ſummaq. miſericordia & prouidentia, qua Iulianum Apoſtatam contra ſeruos Dei ſæuiſſime ferocientem, & atrociſſima quæque & vltima cogitantem, & moliẽtem, in ipſo furoris eius præcipuo æſtu, & impetu, occidit; ineffabili Chriſtianorum omnium exultatione. De qua re ſermonem ſuum exorſus Nazianzenus his verbis loquitur: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terram; audite populi, tribus, linguæ, homines omnes, cuiuſuis ordinis, generis, & ætatis; tam qui nunc eſtis, quam qui futuri, & quo latius quoque præconium hoc pateat; audite omnes cælorum virtutes, omnes Angeli, quorũ opera tyrannus extinctus & deletus eſt. Non Seon ille Rex Amorræorum, neque Og Rex Baſan exigui principes, ſed Draco ille, Apoſtata ille, ille communis bonorum omnium inimicus atque hoſtis,

Naz. orat. in Iulian. *Pſal. 48.* *Pſal. 72.* *Eſa. 1.*

qui

qui & multum furorem multasq. minas ”
in terra profudit,& multam iniquitatem ”
in Excelſum loquutus atque molitus eſt. ”

364 Deinde inſtituto quodam ſpirituali quaſi feſto, conuiuio, & chorea, quatuor genera hominum ad illud magna hilaritate peragendum inuitat;quorum primum eſt perfectorum, idque triplici corona,quos his verbis deſcribit; Exilit(inquit) mihi animus, & hilareſcit oratio, ”
& ad ſpiritualem choream omnes vocat; ”
primò eos qui ieiunijs & lacrimis, & orationi addicti prementium moleſtiarum ”
depulſionem, finemq. diu noctuq. poſtu ”
labant,ſpe non confundente; deinde eos ”
qui magnis certaminibus, & ærumnis
exantlatis,grauiſſimisq. temporis inſultibus ”
percuſſi & vexati,mundo & Angelis, ”
& hominibus (vt Apoſtoli verbis vtar.) ”
ſpectaculum extiterunt; & licet corporibus ”
fracti,animis tamen inuicti permanſerunt; ”
& poſtremo eos qui vel mundana ”
potentia ſponte exuti,vel bonorum rapi- ”

Feſtum Nazianzeni.

Conuocantur pij.

Rom 5.

1.Cor.4.

Ad Phil. 4. na cum gaudio ſuſcepta, vel Patria pulſi,
" vel à viris, vxoribus, parentibus, liberis
Heb. 10. " violenter diſiuncti, Chriſti ſanguini paſ-
" ſiones pro Chriſto rependerunt.

Conuocantur infirmi

365 Secundo loco inuitat Nazianzenus ad hoc feſtum Chriſtianos quoſdam infirmos, puſillanimes, & mente pauperes, vt eos vocat hic Dei ſeruus, eo quod etiamſi fidem Chriſti retinerent, cum pacem tamen, potentiam, ſplendorem, & proſperitatem Iuliani Apoſtatæ, poſt abnegatum ab eo Chriſtum, cernerent, nec ad altiſſimas diuinæ prouidentiæ rationes, & cauſas penetrare poſſent; valde ſcandalizabantur, animiſq. deijciebantur; quos erigit Sanctus hic Epiſcopus
" ſuauiterq. reprehendit his verbis. Quin
Vbi ſupra. alteram quoque (inquit) partem ad fe-
" ſtum diem agitandum voco, eos nimi-
" rum, qui cum animo ſani ſint, cæterum
" ad prouidentiæ diuinæ rationes minime
" penetrent, (quæ plerumq. ex contrarijs
" meliora procurat) facile quidem ob ani-

mi-

mi paupertatem incenduntur, nec peccatorum pacem ferunt, (vt cum Dauide loquar) neque Dei conſilium ſuſtinent, neque animi æquitatem ad extremum vſque præſtant, quod rebus præſentibus, & viſibilibus tantum moueantur.

Pſal. 9.
Pſal. 72.
Pſal. 105.

366 Tertio vocat ad ſpectaculum omnes prudentes ſæculi, & admiratores huius mundi, & potentiæ, ſplendoris, diuitiarum, aliarumq. vanitatum, quæ in eo ſunt, vt tanquam poſt finitam aliquam comœdiam, & detractis hiſtrionũ laruis perſpiciant (Iuliani maxime caſu, miſerrimoq. exitu) quàm incerta, vana, & contemptibilia ſint hæc omnia, quæ magna, ac tremenda carnis oculis videri ſolent; & vt videant, quàm miſeri plerumq. ſint poſt actionem ſcœnæ expletam, qui Regum, Imperatorum, aut magnatum perſonas in peragenda fabula gerebant. Inuitat autem eos Iſaiæ verbis, hoc modo; Iam eas quoque animas voco (inquit) quæ huius mundi ſcœnam, & ma-

Prudentes ſæculi & mundi admiratores.

gnum theatrum ad ſtuporem vſque mirantur, & quidem his Eſaiæ verbis; mu-
Eſa. 33. lieres à ſpectaculo venientes huc adeſte ,
Pſal. 46. animique oculo ab externa aberratione
Pſal. 45. nonnihil abducto, & collecto, vacate & cognoſcite quoniam ego ſum Deus, qui exaltatur in gentibus, & exaltatur in terra: ſemper quidem ille in omnibus prodigijs, ſed in præſentibus tamen (de tyranni caſtigatione) multo certe clarius & expreſſius.

Schiſmatici etiã vocantur.

367 Quarto loco, ſchiſmaticos quoſdã vocat Gregorius, qui licet tempeſtate perſequutionis iactati, nonnihil receſſiſſent à ſinceritate canonum eccleſiaſticorum; fidem tamen retinebant, eamq. ob cauſam, quanquam ſancti Epiſcopi zelus ipſum incitabat, vt vehementius eos obiurgaret; dicit tamen, ab aſperioribus ſe verbis ſibi temperaſſe, ob eam maxime ſpem, quam de eorum reductione, extincto ſaltem iam tyrãno, habebat, ſic autem eos alloquitur. Atque vtinam

(in-

(inquit) ille quoque cætus ad chorum „
noſtrum ſe adiungeret, qui prius cantio- „
nem quidem ſinceram, nobilemque no- „
biſcum Deo occinebat. Nunc autem ne- „
ſcio qua re commotus, repente cantum „
in diuerſum mutauit, alioque gradu & „
ordine ſe collocauit, & choream quan- „
dam priuatim parum modulatam,& con „
cinnam conſtituit. Quamnam autem & „
qualem choream zelus quidem vt dicam „
me incitat, fides autem communis reti- „
net; ideoque ſermonis aſperitatem, ob „
ſpem de eorũ reductione, comprimam. „
Membra (inquam) mea foueo,& maio- „
rem priſtinæ eorum charitatis,quàm præ „
ſentis contemptus rationem habeo;& id- „
circo leniorem me nũc præbeo, vt acrius „
poſtea & aſperius obiurgem. „

368 His omnibus Nazianzenus ad fe-ſtum ſuum conuocatis,vnum tantum genus hominum, idque perinuito quidem animo, ſe repellere dicit; & hi ſunt, qui ſponte ſua vel propter ignauiam,vel pro- *Sponte cadentes reijciuntur à feſto.*

pter malitiam in pugna ceciderunt. Hos enim non tam ad hilaritatem, aut feſti gaudium, quàm ad planctum & gemitũ & pœnitentiæ lacrymas inuitandos cenſet, ſic igitur de eis ſcribit. Vnam claſſem, vnum animarum genus ab hac læta celebritate abdico atque propello, gemens quidem & dolens, & ne audientes quidem fortaſſe lugens, & exitium ſuum minime ſentientes deflens, cum hoc totius eorum plagæ maxime ſit miſerabile; hos (inquam) abdico, eos nimirum, qui *Matth.* 13. non ſupra firmam petram ſed ſupra arenam ſeminati, leuiter quidem & defunctorie ad pietatis doctrinam acceſſerant, & confeſtim exorti, radices non egerunt, ideoq. poſtea ad breuem & exiguũ diaboli impetum, paruumq. tentationis æſtum exaruerunt. Atque his etiam multo adhuc peiores ſunt, magisq. ab hoc fauſto lætoque conuentu proſcribendi, qui Tempori ſeruientes. tempori ſeruientes, ne tantillum quidem obſtiterunt, ſed vltro & ſponte ſe impro-

bos

bos & viles præbuerunt, breui quodam „ & caduco quæſtu, aut obſequio, aut exi- „ gua potentia mundana, ſalutem ſuam æ- „ ternam miſere commutantes. „

369 Poſtremo, his omnibus conuocatis, & malis ſegregatis, exponit ſanctus Nazianzenus, quid agendum pro feſti celebritate; ideſt, quanta animi lætitia, quanta exultatione, quanto gaudio, quo ſpirituali triumpho, qua gratiarum actione, Deo canendum ſit. Poſtquam (inquit) „ chorum noſtrum vniuerſum hoc modo „ repurgauimus, age nunc corporibus ani- „ miſq. quantum fieri poteſt, purificatis, „ voceq. ſua aſſumpta, vnoque & eodem „ ſpiritu concordes facti, triumphale illud „ carmen canamus, quod olim Iſraelitæ „ ob Aegyptios mari rubro demerſos, au- „ ſpicāte Maria, tympanumq. pulſante, ce- cinerunt. Cantemus (inquam) Domino, „ quia glorioſe magnificatus eſt, equum & „ aſcenſorem proiecit, non dico in mare, „ (hoc enim ex illo carmine mutandum „

Quodnam canticū canendum.

Exod. 15.

" eſt) ſed vbi ipſi fuit gratum, & quemad-
" modum ipſe iuſtum cenſuit. Quis loque-
Pſal.105. " tur potentias Domini, & auditas faciet
Pſal.72. omnes laudationes eius? qui arma,& gla
Pſal.106. " dium,& bellum confregit;qui capita dra
" conum in aquis contriuit; qui procellam
Marc.4. in auram ſtatuit; qui dixit mari furenti,
Luc.10. " tace,& obmuteſce; qui calcare nos facit
" ſuper ſerpentes & dracones; qui iudiciũ
Pſal.149. facit inopi & vindictam in nationibus,in-
" crepationesq. in populis. Exclamemus
Eſa.45. cum Eſaia,lætetur cælum deſuper, & nu-
Pſal.124. " bes ſtillent iuſtitiam; effundant montes
" lætitiam,& colles exultationem; exultet
Eſa.45. deſerta,& floreat ſicut lilium,hoc eſt Ec
Eſa.35. " cleſia,quæ heri & nudiuſtertius, videba-
" tur quidem vidua,& viro carens, ſed nũc
Pſal.36. iterum refloruit,quia miſertus eſt Domi-
" nus ſuper plebem ſuam, & hæreditatem
Eſa.25. ſuam non dereliquit; quia beneplacitum
Pſal.146. " eſt ei ſuper timentes eum, & eos qui ſpe-
Pſal.106. rant in miſericordijs eius; quorum cau-
" ſa,portas æreas,& vectes ferreos confre-

git,

git,& licet propter iniquitates noſtras hu miliati fuerimus,per eius tamen gratiam erecti ſumus, & laqueo contrito tandem liberati. *Pſal. 123.* ” ” ” ”

370 Hoc canticum ſuauiſſimum & admirabile plane confecit ſibi ex ſacris literis ſanctiſſimus doctiſſimusq. Nazianzenus, pro illo feſto iucundiſſimo celebrando,cum inopinato Dei beneficio, à Iuliani Apoſtatæ perſecutione,Chriſtianus populus liberatus fuerat; cumque omnia exactiſſime cum Catholicorum cauſa, qui hodie in Anglia patiuntur, conueniant,id eſt, cum idem genus perſecutionis,pares preſſuræ, non diſſimiles perſecutores apoſtatæ,ſæuitia vero & fraudes, & nequitiæ eædem, cauſa quoque ipſiſſima,& patientium conditio, ordo & genera perquam ſimillima, (nam & perfectos ſuos habet, & robuſtiſſimos Anglia athletas,infirmos quoque aliquos,& puſillanimes, nec non & prudentes ſæculi, & ſchiſmaticos non paucos, & nonnul- Applicatio huius feſti ad ſtatū Angliæ.

lum quoque fortaſſe nimis timidum & miſerum, ne vlius gradus certamini huic deeſſet.) cum hæc omnia (inquam) ita ſe habeant, quidni pro ſumma Dei bonitate, qua idem hodie eſt, qui olim fuit, (miſericordia, ſcilicet, & miſerationibus & iuſtitia quoque diues) eundem plane feſti diem expectare debent aliquando catholici Anglicani, euerſis extinctiſque perſecutoribus ſuis, quem hoc in loco deſcripſit Nazianzenus.

Concluſio totius operis.

371 Quare non adijciam plura; ſed eandem illam penitus apponam huic reſponſioni meæ concluſionem, quam ante annos mille & centum poſuit ſanctiſsimus Epiſcopus Victor Vticenſis (de quo ſæpe iam mentio facta eſt) hiſtoriæ ſuæ, de perſecutione hæreticorum Vandalorum; vt inuocatis, nimirum, Angelorum, & ſanctorum Angliæ cælis receptorum (qui infiniti prope ſunt) ſuffragijs, auxilijsque, rem omnem Dei miſericordiæ committamus. Sic enim pijſſimus Dei ſeruus,

pro

pro Africa ſua implorat. Adſit iam (inquit) omnis nobis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, omnis turba Catholici nominis, quæ gremio matris Eccleſiæ toto orbe geſtatur; conueniant ſimul ad domum noſtri doloris, & paribus omnino oculis fundamus flumina lacrymarum, quia cauſæ, & fidei noſtræ vnum eſt negotium. Nullum volo ad condolendum mecum hæreticum, qui forte addere cupit ſuper dolorem vulnerum meorum, & gratulatur malis meis: nolo aliquem filiorum alienorum & ſchiſmaticorum quia filij alieni mentiti ſunt mihi, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Adeſtote Angeli Dei mei, & videte Africam totam, dudum tantarum eccleſiarum cuneis fultã, nunc ab omnibus deſolatam, tantis ordinibus ſacerdotum paulo ante ornatam, modo ſedentem viduam & abiectam. Egreſſus eſt à facie eius omnis decor, didicerunt vias aſperas ambulare virgines, & iuuenes eius in aulis educati monaſte-

Pulcherrima ſancti Victoris cõcluſio lib. 2 hiſt. Vand.

Pſal. 68.

Pſal. 34.

Pſal. 17.

Tren. 1.

„ riorum. Et abierunt in captiuitatem Mau-
„ rorum; dum interim lapides eorum ſan-
„ cti diſperguntur. Deprecamini Patriar-
„ chæ, orate ſancti prophetæ, eſtote Apo-
„ ſtoli ſuffragatores; præcipuè tu Petre
„ beate, quare ſiles pro ouibus & agnis, à
„ communi Domino magna tibi cautela, &
Matth. 18. ſollicitudine commendatis? Et tu ſancte
„ Paule gentium Magiſter, qui ab Ieruſalē
Act. 12. 13. vſque ad Illyricū prædicaſti Euangelium
„ Dei, cognoſce quid Arriani faciunt, &
„ quid filij tui patiantur; vniuerſiq. pro no-
„ bis ingemiſcite ſancti Apoſtoli; & quan-
„ quam fateamur pro peccatis noſtris iſta
„ nobis cōtigiſſe, orate tamen pro filijs etiā
Matth. 17. malis, quia & Chriſtus orauit pro inimi-
1. *Par.* 21. cis Iudæis. Sufficiant caſtigationi, quæ iā
„ nobis iuſtè illata ſunt. dicatur Angelo per-
„ cutienti, iam ſufficit; proſtrati rogamus vt
„ non ſpernatis veſtros miſeros peccato-
„ res, per eum qui vos ad Apoſtolicum cul-
„ men prouexit, humiles piſcatores. Hæc
„ ille pro Africa; hæc nos pro Anglia.

INSTRVCTIONES & mandata quædam ſecretiora Reginæ, & Conſiliariorum eius ad Commiſſarios ſeu Inquiſitores, quibus tradita eſt anthoritas exequendi edictum nuper promulgatum contra Sacerdotes & reliquos Catholicos in vnaquaque Angliæ prouincia ſeu Comitatu.

PRIMO qui ex vobis hanc Reginæ commiſſionem, ſeu mandatum pro exequendo Edicto primi receperint,ij continuò certiores faciãt cæteros, quibus demandata eſt eadẽ au- „ thoritas,vt quamprimum conueniant,ad „ deliberandum de his,quæ neceſſaria futu „ ra ſint ad mandata regia exequẽda, quo- „ rum capita breuiter deſcripta ad ſingu- „ los tranſmittent.Et primo quidẽ ad con- „ uentum loca quædam commodiora in „ qualibet prouincia deſignabitis, ad quæ „ certis præſcriptiſque temporibus in eun- „ dem finem conueniatis. Et vt his princi- „

1. Modus quo cõmiſſarij conuenire debẽt ad inquirẽdum de catholicis.

„ pijs ordinatius & maiori cum facilitate
„ procedatur, non abs re erit, pro ratione
„ cuiuſuis prouinciæ inter voſmetipſos o-
„ nera partiri, & ſtatuere quam quiſque
„ prouinciæ partem curandam ſuſcipiat;
„ ſocios etiam nonnullos & coadiutores
„ vobis aſſumere expediet, qui vobis abſen
„ tibus rem proſequantur; & quò frequen-
„ tius his initijs in vnum conueneritis, eo
„ melius & commodius res procedet; nec
„ committere debetis quin huius primi ſal-
„ tem anni ſpatio quadrageſimo quoque
„ die conueniatis, vt collatis vnà quas pri-
„ uatim quiſque geſſerit rebus, omnes ter-
„ tio quoque menſe Reginam & Senatum
„ regium certiores faciatis, quæ à vobis in
„ prouincijs veſtris acta ſint.

2. Vnde materia petēda ſit, ad accuſandum.

Secundò exigetis ab Epiſcopo diecœ-
ſis illius, in qua eſt quæque prouincia, ab
eiuſque Cancellario, Prouiſore, & Archi
„ diacono, alijſque ipſius Præpoſitis, & Cu
„ ratoribus publicis; necnon à Procurato-
„ ribus prouinciarum, Secretarijs Comi-

tiorum,

tiorum, Notarijs, alijsque miniſtris, & officialibus regni, & à cuiuslibet vrbis, oppidi, aut villæ Præfectis & Magiſtratibus, rationem, numerum, nomina, & habitationem eorum omnium, qui ipſis fuerunt detecti, accuſati, vel ad ipſorum tribunalia proximis his annis præteritis delati ob religionis negotium, quòd eccleſias publicas adire recuſauerint, ſiue viri ſint, ſiue fœminæ, & quinam proceſſus iuris aut cenſuræ contra ipſos ab alijs iudicibus hac de cauſa exierint; efficietis præterea omni diligentia & induſtria veſtra, & quibuſcunque fieri poteſt medijs, vt quiſque veſtrum in prouinciæ particula, quæ ſibi obtigerit, notitiam habeat earũ perſonarum, quæ exiſtimantur receptores eſſe vel fautores Sacerdotum, Seminariorum, Ieſuitarum, aut aliorum fugitiuorum, aut transfugarum, qui ex partibus Vltramarinis in Angliam venerint, aut qui in huius criminis ſuſpicionem venerint, aut vllo modo complices, vel ac-

" ceſſorij exiſtimari poſſint;& quando hac
" ratione vel alia quacunque,iſtiuſmodi ho
" minũ nomina detecta habueritis rẽ penes
" vos ſecreto omnino & clam retinebitis,
" quouſq.commodè cõprehendi poterint,
" & ad vos ſecure perduci, vt iuxta hæc no
" ſtra ad vos mandata examinentur.

3. Quo modo & de qbus examinandi catholici.

Tertio in huiuſmodi hominibus examinandis obſeruabitis diligenter,vt cogatur quiſq; reſpondere ad interrogata de
" rebus, quæ ad conſcientiam & religionẽ
" ſuam pertinent; num ſcilicet templa fre-
" quentent;aut quibus de cauſis illud face-
" re recuſent; & ſi obſtinato animo id re-
" nuere deprehendantur; tunc vlterius ea
" ab ipſis inquiretis, quæ ad ſtatum reip.&
" fidelitatem ipſorum erga principem ſpe-
" ctant.Quo nimirum animo,& qua deuo-
" tione ſint in Pontificem Romanum & Hi
" ſpaniarum Regem: num Ieſuitas,aut Se-
" minariorum Sacerdotes, aut alios Roma
" vel Rhemis vel aliundè in hoc regnum
" miſſos, ad reginæ ſubditos ab eius obe-

dien-

dientia ſeducendos receperint, fouerint, aluerint, & ſimilia. „ „

Quartò, vt ſciatis qua ratione examinandi ſint iſtiuſmodi homines, qui Romano Pontifici & Regi Hiſpanico adhærere putantur; vtque appoſitè reſpondeant ad ea quæ ab eis ſciri operæpretiũ eſt. Iuxta quæſtiones ſeu interrogationes ſubiectas examinentur, quas partim eis ſub iuramento, partim ſine iureiurando proponere poteritis. „ „ „ „ „ „ „ „ „

4. Forma exàminis ſeu interrogatorium.

Forma interrogandi eos qui exàminantur. „ „ „

AN quis vobis author fuerit, aut ſuaſor, vt Romano Pontifici aut Hiſpaniarum Regi adhæreatis, & ipſorum partes ſequeremini, aut vllas eis feratis ſuppetias, quando contigerit quacunque eos de cauſa hoc Regnũ Anglicanum armis inuadere. & quiſnam ille fuerit, qui hoc vobis ſuaſerit. „ „ „ „ „ „ „ „ „

Ad Phil. 4. na cum gaudio ſuſcepta, vel Patria pulſi, vel à viris, vxoribus, parentibus, liberis *Heb.* 10. violenter diſiuncti, Chriſti ſanguini paſſiones pro Chriſto rependerunt.

Conuocantur infirmi

365 Secundo loco inuitat Nazianzenus ad hoc feſtum Chriſtianos quoſdam infirmos, puſillanimes, & mente pauperes, vt eos vocat hic Dei ſeruus, eo quod etiamſi fidem Chriſti retinerent, cum pacem tamen, potentiam, ſplendorem, & proſperitatem Iuliani Apoſtatæ, poſt abnegatum ab eo Chriſtum, cernerent, nec ad altiſſimas diuinæ prouidentiæ rationes, & cauſas penetrare poſſent; valde ſcandalizabantur, animisq. deijciebantur; quos erigit Sanctus hic Epiſcopus ſuauiterq. reprehendit his verbis. Quin Vbi ſupra. alteram quoque (inquit) partem ad feſtum diem agitandum voco, eos nimirum, qui cum animo ſani ſint, cæterum ad prouidentiæ diuinæ rationes minime penetrent, (quæ plerumq. ex contrarijs meliora procurat) facile quidem ob ani-

mi-

mi paupertatem incenduntur, nec pec- „
catorum pacem ferunt, (vt cum Dauide *Pſal. 9.*
loquar) neque Dei conſilium ſuſtinent, „ *Pſal. 72.*
neque animi æquitatem ad extremum „
vſque præſtant, quod rebus præſentibus, *Pſal. 105.*
& viſibilibus tantum moueantur. „

366 Tertio vocat ad ſpectaculum omnes prudentes ſæculi, & admiratores huius mundi, & potentiæ, ſplendoris, diuitiarum, aliarumq. vanitatum, quæ in eo ſunt, vt tanquam poſt finitam aliquam comœdiam, & detractis hiſtrionũ laruis perſpiciant (Iuliani maxime caſu, miſerrimoq. exitu) quàm incerta, vana, & contemptibilia ſint hæc omnia, quæ magna, ac tremenda carnis oculis videri ſolent; & vt videant, quàm miſeri plerumq. ſint poſt actionem ſcœnæ expletam, qui Regum, Imperatorum, aut magnatum perſonas in peragenda fabula gerebant. Inuitat autem eos Iſaiæ verbis, hoc modo; Iam eas quoque animas voco (inquit) quæ huius mundi ſcœnam, & ma- „ *Prudentes ſæculi & mundi admiratores.*

gnum theatrum ad ſtuporem vſque mirantur, & quidem his Eſaiæ verbis; mu-
Eſa.33. lieres à ſpectaculo venientes huc adeſte,
Pſal.46. animique oculo ab externa aberratione
Pſal.45. nonnihil abducto, & collecto, vacate & cognoſcite quoniam ego ſum Deus, qui exaltatur in gentibus, & exaltatur in terra: ſemper quidem ille in omnibus prodigijs, ſed in præſentibus tamen (de tyranni caſtigatione) multo certe clarius & expreſſius.

Schiſmatici etiã vocantur.

367 Quarto loco, ſchiſmaticos quoſdã vocat Gregorius, qui licet tempeſtate perſequutionis iactati, nonnihil receſſiſſent à ſinceritate canonum eccleſiaſticorum; fidem tamen retinebant, eamq. ob cauſam, quanquam ſancti Epiſcopi zelus ipſum incitabat, vt vehementius eos obiurgaret; dicit tamen, ab aſperioribus ſe verbis ſibi temperaſſe, ob eam maxime ſpem, quam de eorum reductione, extincto ſaltem iam tyrãno, habebat, ſic autem eos alloquitur. Atque vtinam

(in-

(inquit) ille quoque cætus ad chorum noſtrum ſe adiungeret, qui prius cantionem quidem ſinceram, nobilemque nobiſcum Deo occinebat. Nunc autem neſcio qua re commotus, repente cantum in diuerſum mutauit, alioque gradu & ordine ſe collocauit, & choream quandam priuatim parum modulatam,& concinnam conſtituit. Quamnam autem & qualem choream zelus quidem vt dicam me incitat, fides autem communis retinet; ideoque ſermonis aſperitatem, ob ſpem de eorũ reductione, comprimam. Membra (inquam) mea foueo,& maiorem priſtinæ eorum charitatis,quàm præſentis contemptus rationem habeo;& idcirco leniorem me nũc præbeo, vt acrius poſtea & aſperius obiurgem.

368 His omnibus Nazianzenus ad feſtum ſuum conuocatis,vnum tantum genus hominum, idque perinuito quidem animo, ſe repellere dicit; & hi ſunt, qui ſponte ſua vel propter ignauiam,vel pro- | Sponte cadentes reijciuntur à feſto.

pter malitiam in pugna ceciderunt. Hos enim non tam ad hilaritatem, aut feſti gaudium, quàm ad planctum & gemitũ & pœnitentiæ lacrymas inuitandos cenſet, ſic igitur de eis ſcribit. „Vnam claſſem, vnum animarum genus ab hac læta celebritate abdico atque propello, gemens quidem & dolens, & ne audientes quidem fortaſſe lugens, & exitium ſuum minime ſentientes deflens, cum hoc totius eorum plagæ maxime ſit miſerabile; hos (inquam) abdico, eos nimirum, qui *Matth.* 13. non ſupra firmam petram ſed ſupra arenam ſeminati, leuiter quidem & defunctorie ad pietatis doctrinam acceſſerant, & confeſtim exorti, radices non egerunt, ideoq. poſtea ad breuem & exiguũ diaboli impetum, paruumq. tentationis æſtum exaruerunt. Atque his etiam multo adhuc peiores ſunt, magisq. ab hoc fauſto lætoque conuentu proſcribendi, qui Tempori ſeruientes. tempori ſeruientes, ne tantillum quidem obſtiterunt, ſed vltro & ſponte ſe impro-

bos

bos & viles præbuerunt, breui quodam „
& caduco quæſtu, aut obſequio, aut exi- „
gua potentia mundana, ſalutem ſuam æ- „
ternam miſere commutantes. „

369 Poſtremo, his omnibus conuocatis, & malis ſegregatis, exponit ſanctus Nazianzenus, quid agendum pro feſti celebritate; ideſt, quanta animi lætitia, quanta exultatione, quanto gaudio, quo ſpirituali triumpho, qua gratiarum actione, Deo canendum ſit.

Quodnam canticū canendum.

Poſtquam (inquit) „
chorum noſtrum vniuerſum hoc modo „
repurgauimus, age nunc corporibus ani- „
miſq. quantum fieri poteſt, purificatis, „
voceq. ſua aſſumpta, vnoque & eodem „
ſpiritu concordes facti, triumphale illud „
carmen canamus, quod olim Iſraelitæ „
ob Aegyptios mari rubro demerſos, au- „
ſpicāte Maria, tympanumq. pulſante, cecinerunt. *Exod. 15.*
Cantemus (inquam) Domino, „
quia glorioſe magnificatus eſt, equum & „
aſcenſorem proiecit, non dico in mare, „
(hoc enim ex illo carmine mutandum „

eſt)

„ eſt) ſed vbi ipſi fuit gratum, & quemad-
„ modum ipſe iuſtum cenſuit. Quis loque-
Pſal.105. „ tur potentias Domini, & auditas faciet
Pſal.72. omnes laudationes eius? qui arma,& gla
„ dium,& bellum confregit;qui capita dra
Pſal.106. „ conum in aquis contriuit; qui procellam
Marc.4. in auram ſtatuit; qui dixit mari furenti,
„ tace,& obmuteſce; qui calcare nos facit
Luc. 10. „ ſuper ſerpentes & dracones; qui iudiciũ
Pſal.149. facit inopi & vindictam in nationibus,in-
„ crepationesq. in populis. Exclamemus
Eſa.45. „ cum Eſaia,lætetur cælum deſuper, & nu-
„ bes ſtillent iuſtitiam; effundant montes
Pſal.124. „ lætitiam,& colles exultationem; exultet
Eſa.45. deſerta,& floreat ſicut lilium,hoc eſt Ec
Eſa. 35. „ cleſia,quæ heri & nudiuſtertius, videba-
„ tur quidem vidua,& viro carens, ſed nũc
Pſal. 36. „ iterum refloruit,quia miſertus eſt Domi-
„ nus ſuper plebem ſuam, & hæreditatem
Eſa 25. ſuam non dereliquit; quia beneplacitum
Pſal.146. „ eſt ei ſuper timentes eum, & eos qui ſpe-
„ rant in miſericordijs eius; quorum cau-
Pſal.106. „ ſa,portas æreas,& vectes ferreos confre-

git,

git,& licet propter iniquitates noſtras humiliati fuerimus, per eius tamen gratiam erecti ſumus, & laqueo contrito tandem liberati. *Pſal.123.* „ „ „ „

370 Hoc canticum ſuauiſſimum & admirabile plane confecit ſibi ex ſacris literis ſanctiſſimus doctiſſimusq. Nazianzenus, pro illo feſto iucundiſſimo celebrando, cum inopinato Dei beneficio, à Iuliani Apoſtatæ perſecutione, Chriſtianus populus liberatus fuerat; cumque omnia exactiſſime cum Catholicorum cauſa, qui hodie in Anglia patiuntur, conueniant, id eſt, cum idem genus perſecutionis, pares preſſuræ, non diſſimiles perſecutores apoſtatæ, ſæuitia vero & fraudes, & nequitiæ eædem, cauſa quoque ipſiſſima, & patientium conditio, ordo & genera perquam ſimillima, (nam & perfectos ſuos habet, & robuſtiſſimos Anglia athletas, infirmos quoque aliquos, & puſillanimes, nec non & prudentes ſæculi, & ſchiſmaticos non paucos, & nonnul-

Applicatio huius feſti ad ſtatū Angliæ.

lum quoque fortaſſe nimis timidum & miſerum, ne vlius gradus certamini huic deeſſet.) cum hæc omnia (inquam) ita ſe habeant, quidni pro ſumma Dei bonitate, qua idem hodie eſt, qui olim fuit, (miſericordia, ſcilicet, & miſerationibus & iuſtitia quoque diues) eundem plane feſti diem expectare debent aliquando catholici Anglicani, euerſis extinctiſque perſecutoribus ſuis, quem hoc in loco deſcripſit Nazianzenus.

Concluſio totius operis.

371 Quare non adijciam plura; ſed eandem illam penitus apponam huic reſponſioni meæ concluſionem, quam ante annos mille & centum poſuit ſanctiſsimus Epiſcopus Victor Vticenſis (de quo ſæpe iam mentio facta eſt) hiſtoriæ ſuæ, de perſecutione hæreticorum Vandalorum; vt inuocatis, nimirum, Angelorum, & ſanctorum Angliæ cælis receptorum (qui infiniti prope ſunt) ſuffragijs, auxilijsque, rem omnem Dei miſericordiæ committamus. Sic enim pijſſimus Dei ſeruus;

pro

pro Africa ſua implorat. Adſit iam (inquit) omnis nobis ætas, omnis ſexus, omnis conditio, omnis turba Catholici nominis, quæ gremio matris Eccleſiæ toto orbe geſtatur; conueniant ſimul ad domum noſtri doloris, & paribus omnino oculis fundamus flumina lacrymarum, quia cauſæ, & fidei noſtræ vnum eſt negotium. Nullum volo ad condolendum mecum hæreticum, qui forte addere cupit ſuper dolorem vulnerum meorum, & gratulatur malis meis: nolo aliquem filiorum alienorum & ſchiſmaticorum quia filij alieni mentiti ſunt mihi, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Adeſtote Angeli Dei mei, & videte Africam totam, dudum tantarum eccleſiarum cuneis fultã, nunc ab omnibus deſolatam, tantis ordinibus ſacerdotum paulo ante ornatam, modo ſedentem viduam & abiectam. Egreſſus eſt à facie eius omnis decor, didicerunt vias aſperas ambulare virgines, & iuuenes eius in aulis educati monaſte-

Pulcherrima ſancti Victoris cõclusio lib. 2 hiſt. Vand.

Pſal. 68.

Pſal. 34.

Pſal. 17.

Tren. 1.

„ riorum. Et abierunt in captiuitatem Mau
„ rorum; dum interim lapides eorum ſan-
„ cti diſperguntur. Deprecamini Patriar-
„ chæ, orate ſancti prophetæ, eſtote Apo-
„ ſtoli ſuffragatores; præcipuè tu Petre
„ beate, quare ſiles pro ouibus & agnis, à
„ communi Domino magna tibi cautela,&
Matth. 18. ſollicitudine commendatis? Et tu ſancte
„ Paule gentium Magiſter, qui ab Ieruſalē
Act. 12. 13. vſque ad Illyricū prædicaſti Euangelium
„ Dei, cognoſce quid Arriani faciunt, &
„ quid filij tui patiantur; vniuerſiq. pro no-
„ bis ingemiſcite ſancti Apoſtoli; & quan-
„ quam fateamur pro peccatis noſtris iſta
„ nobis cōtigiſſe, orate tamen pro filijs etiā
Matth. 17. malis, quia & Chriſtus orauit pro inimi-
1. Par. 21. cis Iudæis. Sufficiant caſtigationi, quæ iā
„ nobis iuſtè illata ſunt. dicatur Angelo per
„ cutienti, iam ſufficit; proſtrati rogamus vt
„ non ſpernatis veſtros miſeros peccato-
„ res, per eum qui vos ad Apoſtolicum cul-
„ men prouexit, humiles piſcatores. Hæc
„ ille pro Africa; hæc nos pro Anglia.

INSTRUCTIONES & mandata quædam ſecretiora Reginæ, & Conſiliariorum eius ad Commiſſarios ſeu Inquiſitores, quibus tradita eſt authoritas exequendi edictum nuper promulgatum contra Sacerdotes & reliquos Catholicos in vnaquaque Angliæ prouincia ſeu Comitatu.

PRIMO qui ex vobis hanc Reginæ commiſſionem, ſeu mandatum pro exequendo Edicto primi receperint, ij continuò certiores faciãt cæteros, quibus demandata eſt eadẽ authoritas, vt quamprimum conueniant, ad deliberandum de his, quæ neceſſaria futura ſint ad mandata regia exequẽda, quorum capita breuiter deſcripta ad ſingulos tranſmittent. Et primo quidẽ ad conuentum loca quædam commodiora in qualibet prouincia deſignabitis, ad quæ certis præſcriptiſque temporibus in eundem finem conueniatis. Et vt his princi- 1. Modus quo cõmiſſarij conuenire debẽt ad inquirẽdum de catholicis.

„ pijs ordinatius & maiori cum facilitate
„ procedatur, non abs re erit, pro ratione
„ cuiuſuis prouinciæ inter voſmetipſos o-
„ nera partiri, & ſtatuere quam quiſque
„ prouinciæ partem curandam ſuſcipiat;
„ ſocios etiam nonnullos & coadiutores
„ vobis aſſumere expediet, qui vobis abſen
„ tibus rem proſequantur; & quò frequen-
„ tius his initijs in vnum conueneritis, eo
„ melius & commodius res procedet; nec
„ committere debetis quin huius primi ſal-
„ tem anni ſpatio quadrageſimo quoque
„ die conueniatis, vt collatis vnà quas pri-
„ uatim quiſque geſſerit rebus, omnes ter-
„ tio quoque menſe Reginam & Senatum
„ regium certiores faciatis, quæ à vobis in
„ prouincijs veſtris acta ſint.

2. Vnde materia petẽda ſit, ad accuſandum.

Secundò exigetis ab Epiſcopo diecœ-
ſis illius, in qua eſt quæque prouincia, ab
eiuſque Cancellario, Prouiſore, & Archi
„ diacono, alijſque ipſius Præpoſitis, & Cu
„ ratoribus publicis; necnon à Procurato-
„ ribus prouinciarum, Secretarijs Comi-

tiorum,

tiorum, Notarijs, alijsque miniſtris, & of- „
ficialibus regni, & à cuiuslibet vrbis, op- „
pidi, aut villæ Præfectis & Magiſtratibus, „
rationem, numerum, nomina, & habita- „
tionem eorum omnium, qui ipſis fuerunt „
detecti, accuſati, vel ad ipſorum tribuna- „
lia proximis his annis præteritis delati „
ob religionis negotium; quòd eccleſias „
publicas adire recuſauerint, ſiue viri ſint, „
ſiue fœminæ, & quinam proceſſus iuris „
aut cenſuræ contra ipſos ab alijs iudici- „
bus hac de cauſa exierint; efficietis præ- „
terea omni diligentia & induſtria veſtra, „
& quibuſcunque fieri poteſt medijs, vt „
quiſque veſtrum in prouinciæ particula, „
quæ ſibi obtigerit, notitiam habeat earũ „
perſonarum, quæ exiſtimantur recepto- „
res eſſe vel fautores Sacerdotum, Semina- „
riorum, Ieſuitarum, aut aliorum fugiti- „
uorum, aut transfugarum, qui ex parti- „
bus Vltramarinis in Angliam venerint, „
aut qui in huius criminis ſuſpicionem ve- „
nerint, aut vllo modo complices, vel ac- „

„ ceſſorij exiſtimari poſſint;& quando hac
„ ratione vel alia quacunque,iſtiuſmodi ho
„ minũ nomina detecta habueritis rẽ penes
„ vos ſecreto omnino & clam retinebitis,
„ quouſq.commodè cõprehendi poterint,
„ & ad vos ſecure perduci, vt iuxta hæc no
„ ſtra ad vos mandata examinentur.

3. Quo modo & de qbus examinandi catholici.

Tertio in huiuſmodi hominibus examinandis obſeruabitis diligenter,vt cogatur quiſq; reſpondere ad interrogata de
„ rebus, quæ ad conſcientiam & religionẽ
„ ſuam pertinent; num ſcilicet templa fre-
„ quentent;aut quibus de cauſis illud face-
„ re recuſent; & ſi obſtinato animo id re-
„ nuere deprehendantur; tunc vlterius ea
„ ab ipſis inquiretis, quæ ad ſtatum reip.&
„ fidelitatem ipſorum erga principem ſpe-
„ ctant.Quo nimirum animo,& qua deuo-
„ tione ſint in Pontificem Romanum & Hi
„ ſpaniarum Regem: num Ieſuitas,aut Se-
„ minariorum Sacerdotes, aut alios Roma
„ vel Rhemis vel aliundè in hoc regnum
„ miſſos, ad reginæ ſubditos ab eius obe-

dien-

dientia ſeducendos receperint, fouerint, aluerint, & ſimilia. ” ”

Quartò, vt ſciatis qua ratione examinandi ſint iſtiuſmodi homines, qui Romano Pontifici & Regi Hiſpanico adhærere putantur; vtque appoſitè reſpondeant ad ea quæ ab eis ſciri operæpretiũ eſt. Iuxta quæſtiones ſeu interrogationes ſubiectas examinentur, quas partim eis ſub iuramento, partim ſine iureiurando proponere poteritis. ” ” ” ” ” ” ” ”

4. Forma examinis ſeu interrogatorium.

” ” ” ”

Forma interrogandi eos qui examinantur.

AN quis vobis author fuerit, aut ſuaſor, vt Romano Pontifici aut Hiſpaniarum Regi adhæreatis, & ipſorum partes ſequeremini, aut vllas eis feratis ſuppetias, quando contigerit quacunque eos de cauſa hoc Regnũ Anglicanum armis inuadere. & quiſnam ille fuerit, qui hoc vobis ſuaſerit. ” ” ” ” ” ” ” ” ”

” An fuerint aliquando Romæ, vel Rhe-
” mis? vel in Hiſpanijs intra proximos hos
” quinque annos præteritos?quando reuer-
” ſi ſint in hoc Regnum,& in quem finem?
” Vbi & apud quos à reditu in Inſulam
” permanſerint? quibuſcum perſonis locu-
” ti,aut verſati fuerint in Anglia? Num qui
” examinatur,ſacerdos ſit, vel Ieſuita, Ro-
” mano more inſtitutus? vbi? quando? &
” à quo Epiſcopo fuerit Sacerdotio initia-
” tus? An vixerit in Seminario, vel Colle-
” gio aliquo Anglorum,Vuallorũ, aut Hy-
” bernorum Romæ, Rhemis, vel in Hiſpa-
” nijs,aut alibi? quandiu in aliquo huiuſmo-
” di Collegio habitauerit? & quando indè
” proximè in Angliam miſſus fuerit? & cu-
” ius rei gratia?

5. Quo modo fautores Sacerdotũ detegãtur.

Quintò. Cum recentiſſimo Reginæ E-
dicto,de quo vos notitiam habere ſignifi-
cabitis, omnibus cuiuſcunque conditio-
” nis,& gradus Maieſtatis ſuæ ſubditis,tam
” Eccleſiaſticis quàm Laicis, ſine omni ex-
” ceptione ſeuerè præceptum ſit, vt quàm

diligen-

diligentiſſimè exquirant, quinam fuerint hoſpitio aut domo excepti,vel ad ſe ventitauerint,comederint,aut dormierint intra vnius anni ſpatium proximè elapſi, ante promulgationem eiuſdem Edicti? Si vobis ſignificatum fuerit aliquam eiuſmodi perſonam hoſpitio, domoue exceptam,aut alia aliqua ratione ſubleuatam, & non detectam contra mentem ſuæ Maieſtatis, prout in eodem Edicto plenius habetur; tunc curabitis vt qui veritatem exploraturi mittuntur, reſponſa in ſcriptis referant,& adhibito per vos diligenti examine,ſi quis deprehendetur eiuſmodi ſuſpectos viros domi ſuæ recepiſſe, cooperuiſſe, fouiſſe, aut beneficio aliquo affeciſſe, curabitis eum in manus veſtras tradendum,carceriq.mandandum,alijſq. afficiendum ſupplicijs,prout vobis viſum fuerit.

Pro iiſs cōprehendendis, qui in aliena prouincia fuerint.

Sextò. Quandoquidem par omnino Reginæ mandatum, ſimileſque eidem annexæ inſtructiones & interrogationes,

" in alias omnes quoque Regni prouincias
" miſſæ ſunt ad Commiſſarios, qui hac ipſa
" de cauſa vbique inſtituuntur: ſi contige-
" rit perſonam aliquam de rebus prædictis
" ſuſpectam aut ream in aliam prouinciam
" tranſmigraſſe; tunc curabitis vt illius pro
" uinciæ Commiſſarij quàm ſecretiſſimè
" eius rei moneantur, eiſque authoritate &
" nomine Regio præcipietis, vt eiuſmodi
" perſonam ſuſpectam quàm citiſſimè &
" diligentiſſimè comprehendant, exami-
" nent, & in cuſtodiam mittant, vt deinde
" cum ea vlterius procedatur iuxta huius
" Commiſſionis ac mãdati Regij formam.

Modus ſub delegandi & catholicos illaqueandi.

Poſtremò honeſtos aliquot, & probatæ fidei viros ex eorum numero qui Regi
næ in rebus Religionis magis promptè
obtemperant ſeligetis in qualibet prouin
" ciæ veſtræ parte; præcipuè verò in oppi-
" dis, portubus, & amplioribus parœcijs;
" quibus etiam Parochos & Eccleſiarum
" Rectores, qui fideles ſunt, & gregis ſui cu
" ram & ſollicitudinem gerere cognoſcun-

tur,

tur, adiungere licebit; eisque præcipietis „ vt obſeruent diligenter, an quiſquam ob- „ ſtinate recuſet templa noſtra frequenta- „ re. Et quoties aliquos iſtiuſmodi vobis „ denunciauerint, eos continuò ad vos ac- „ cerſitos, prætermiſſo adeundæ Eccleſiæ „ negotio (de quo per alias pœnas ex le- „ gum præſcripto caſtigandi erunt) pro ar „ bitrio & prudentia veſtra interrogabitis „ de alijs articulis, qui ad rempubl. perti- „ nent, & eos cogetis ad eas omnes interro „ gationes reſpondere, quæ ſupra comme- „ moratæ ſunt, aut alias pro qualitate & „ conditione perſonæ, quæ examinatur, „ prout vobis videbitur. Nam eo ipſo quòd „ recuſent iſti tam pertinaciter nobiſcum „ in rebus, quæ ad religionem pertinent, „ communicare; meritò in ſuſpicionem „ vocandi ſunt, tanquam Regiæ Maieſtati „ inobedientes, & Reip. ſtatui parum fide- „ les; immo quòd communibus patriæ ho- „ ſtibus, Papæ nimirum, & Regi Hiſpaniæ „ faueant.

Ad præcedentes inſtructiones annotatio.

Scopus Inſtructionũ.

372 POſteaquam Regina Angliæ Hæreticorum ſuaſu, & Cecilij maxime importunitate inducta, apud ſe conſtituiſſet, promulgandum ſibi eſſe contra catholicos Edictum, quod paulò ſuperius explicatum, & confutatum eſt; non ſatis eſſe exiſtimauit, ordinarijs reipub. Iudicibus, & magiſtratibus, reliquiſque regni ſubditis poteſtatem facere vniuerſalem in Catholicos inquirendi, (quod ipſius Edicti vi, verbiſq. manifeſtis conceſſum cernimus) ſed voluit inſuper in ſingulis totius Regni prouincijs (quas conuentus ſeu Comitatus vocant, & ad quadraginta ferè numerantur) viros ſtatui certos, cum mandatis ampliſſimis, & poteſtate extraordinaria, qui Edicti executionem vbique promouerent, & operi imminentes perpetua illud ſollicitudine perurgerent;

quorum hominum animandorum ac dirigendorum cauſa, perſcriptæ fuerunt Admonitiones, ſeu inſtructiones hæ, quæ regia authoritate munitæ ad ſingulas prouincias mittebantur, quanquam ſatis intellectum eſt ex Cecilij capite hæc omnia nata & profecta eſſe.

373 Prima autem inſtructio ad Commiſſarios de ipſo modo conueniendi eſt; vt frequentiſſimè, nimirum, & diligentiſſimè in prouincijs conuentus agant, vt aliorum etiam adminiculis vtantur ad proſequendum opus, vt ad quadrageſimum ſaltem diem, vnà ſint omnes, & tertio quoque menſe Reginam & Senatum regium de rebus geſtis certiorem faciant; interim quiſque pro luſtranda & perſcrutanda prouinciæ particula, quam affligendam ſuſceperit, diligentiam omnem & ſollicitudinem adhibeat. Quibus ſi addatur, quod inſtructione ſeptima præſcribitur, vt in ſingulis non tantùm oppidis, vrbibus, & portubus, ſed villulis etiam, & | 1 Turbulẽta Angliæ conditio.

parœcijs ſelecti quidam viri deſignentur, ex eorum numero qui ardẽtiori zelo ſunt in promouenda hæreſi, & religione catholica extirpanda; ſi adiungatur præterea quod Edicti Sectione quinta iubetur, vt omnes Patres familias, Domini, Caupones, hoſpites, ſtabularij, viatores, cæterique poteſtatem liberam habeant inquirendi in alios, áccuſandi, comprehendendi, trahendi ad tribunalia, cuſtodias, & carceres, & alias moleſtias inferendi; vnuſquiſque facile per ſe exiſtimabit, quàm miſera ſit hodie Angliæ conditio, & ipſis etiam proteſtantibus moderatioribus oneroſa, & grauis, vbi perpetuis omnia patent turbationibus.

2 Calumniandi materia in catholicos.

374 Secunda inſtructio loca quædam communia, ſeu artificioſa deſcribit, ex quibus Commiſſarij, & turba eorum qui ipſis deſeruiunt, argumenta quædam ſumant ad accuſandos catholicos de proditionibus, & læſæ Maieſtatis criminibus. Nam ad hunc finem præcipitur primò

omnium, vt nomina habeantur eorum, qui Religionis, & conſcientiæ cauſa eccleſias Proteſtantium adire recuſant, quod latius clariusq. explicatur inſtructione ſeptima, vbi dicitur quòd eo ipſo quòd ,, tam pertinaciter recuſent iſti nobiſcum ,, in rebus, quæ ad religionem pertinent, ,, communicare, meritò in ſuſpicionem vo- ,, candi ſunt, tanquam Regiæ Maieſtati in- ,, obedientes, & reipubl. ſtatui parum fide- ,, les. Hinc etiam dicitur inſtructione tertia. In huiuſmodi hominibus examinan- ,, dis obſeruabitis diligenter, vt cogatur ,, quiſque reſpondere ad interrogata de re- ,, bus, quæ ad conſcientiam, & religionem ,, pertinent, num ſcilicet templa frequen- ,, tet &c. Et quanquam ſtatim ferè po- ,, ſtea, inſtructione nimirum ſeptima, contrarium planè aſſeratur: nempe, præ- ,, termiſſo adeundæ Eccleſiæ negotio (de ,, quo per alias pœnas ex legum præſcri- ,, pto caſtigandi ſunt) pro veſtro arbi- ,, trio & prudẽtia interrogabitis de alijs ar- ,,

ticulis, qui ad rempub. pertinent: tamen hoc obliuioni Cecilij tribuendum eſt, vel mendacio potius, quo ſibi ipſe contrarius ſæpe eſſe cogitur, vt ſupra non raro in reſponſione ad Edictum, ſed frequentiſſimè ſectione quarta oſtenſum eſt, vbi de veris cauſis, ob quas Sacerdotes & Ieſuitæ, cæteriq. catholici hodie in Anglia occiduntur, diſſeritur.

375 Nullibi autem manifeſtius ſe prodit hæretica eorum fraus & diſſimulatio, quàm ex his ſecretis ipſorum mandatis & Inſtructionibus, quibus apertè indicant, quo ex fonte deduci volunt omnes illas accuſationes graues de proditionibus & læſa Maieſtate, quas alibi exaggerant, tanquam ex mera catholicorum malitia, & non conſcientia natas. Hic autem fatentur ex ipſius religionis ſtudio proficiſci, hinc illud primum & præcipuum inter interrogata eſt: An quis eccleſias proteſtantium frequentet &c. Illud etiam abſurdum & ridiculum, an Sa-

cerdos ſit, aut Ieſuita Romano more in- „
ſtitutus; perinde ac ſi quis in Anglia Sacerdos, aut Ieſuita eſſe poſſit, qui ritu Romano non ſit inſtitutus; Reginæ enim ordines neque Sacerdotes, neque Ieſuitas conſtituunt; innuit tamen interrogatio hæc, facilè permittendum in Anglia fore Sacerdotem aut Ieſuitam, qui Romana ſe authoritate inſtitutum negaret. odium ergo non tantum ipſius ordinis, ſed maximè Religionis Romanæ in cauſa eſt, cur Sacerdotes, & Ieſuitæ hodierno die in Anglia proſcribantur, & læſæ Maieſtatis rei habeantur; neque quòd aliquid ipſi in Angliam perpetrauerint, ſed quòd ordines ſacros à Sede Apoſtolica acceperint, crimen illis capitale eſt.

De Martyribus nuper occiſis.

376 Quod ipſum, quanquam ſupra in prænominata Sectione, & per vniuerſam ferè reſponſionem ad Edictum ſæpiſſimè, clariſſimèq. oſtenſum eſt; hic tamen non tantum ex ipſius aduerſarij confeſſione, ſcriptoque (quod iam fecimus)

probandum eſt, ſed vno etiam & altero exemplo eorum, qui poſt hoc Edictum, vel ex iſtius potius Edicti vi, & mandatò occiſi ſunt, explicabimus. Quæro igitur primùm, quid ſceleris, aut flagitij commiſerant ſeptem illi Dei ſerui, quos vnà mactaſtis Londini menſe Decẽbri proximo exeũte, ideſt paulo poſt Edicti iſtius promulgationem, Edmũdus nimirum Geningus, Euſtachius Vitus, & Polydorus Plaſdenus ſacerdotes; Suithenus etiam Vvellus, & Briantus Laceyus viri nobiles, & generoſi, cum duobus famulis? An quicquam aliud contra eos probaſtis, quàm quòd erant catholici, & quòd ſimul Miſſæ ſacrificio interfuerant? Quid reliquis ſacerdotibus poſteriùs a vobis crudeliſſimè peremptis, Patteſono, Vuilliamo, alijsq. multis, quorũ nomina nondum certò & exploratò ad nos peruenerunt, ſed ſcripta ſunt in libro vitæ? An hi vllo alio crimine tenebãtur, quam quòd Sacerdotes eſſent? aut vllum aliud

Septẽ martyres.

conſpi-

conſpirationis genus inierunt cum Pontifice Romano, aut Rege Hiſpaniarum catholico, præterquam fidei & religionis, quibus vos inimici & hoſtes eſtis?

377 Certè de poſteriori, hoc eſt de Vuilliamo, qui aliquando ex veſtris fuerat, narrauit mihi, qui præſens hominem morientem vidit, (neque enim tres adhuc menſes integri à martyrio fluxerunt) cum morti adiudicatus, crate viminea, pro more perduellium, ad locum ſupplicij terra raptaretur, nonnullos Miniſtros veſtros equis inſidentes viro Dei inſultaſſe, & inter alios ineptiſsimum quendam, & ridiculum concionatorem vniuerſis Anglis infamia notiſsimum, cui nomen Dauid Dee, multas Martyri moleſtias intuliſſe, & magnis vocibus populo ingeminaſſe, cauendum eſſe omnino, ne quis exiſtimet hunc hominem Religionis cauſa mortem adire, cum ſupremæ Maieſtatis læſæ cauſa ſupplicium perferat; cui cum alter nihil reſponderet, ſed in altiſsima *Illuſtre exemplum.*

mortis, & rerum æternarum contemplatione defixus taceret, peruenit tandem ad Martyrij locum, vbi alter concionatorum veſtrorum, perſpecta hominis modeſtia, conſtantia, & ſumma patientia, alia longè ratione aggrediendum cenſuit, blandiſsimis nimirum verbis, laudibus, precibuſque ſumma contentione ab eo petijt, vt ſaluus eſſe, & viuere vellet, quod ipſe certiſsime ea ratione ei promittebat, ſi fateretur tantum Reginam Anglicanæ ſaltem Eccleſiæ caput eſſe, quod cum alter quaſi riſu excepiſſet, reſpondit ſe bonam iam itineris ſui partem confeciſſe cælum verſus, quòd ad eum locum veniſſet, vbi mors obeunda eſſet; ſperare ſe ad reliquam partem conficiendã vires ſibi a benigniſsimo Domino non defuturas; hiſque dictis, & excluſo Miniſtro hæretico, ad mortem ſe parauit, & libentiſsimè obtulit. Quodnam igitur hic læſæ Maieſtatis crimen commiſiſſe exiſtimetur, cui tam facilis venia oblata eſt?

378 Poſſem multa huius generis profer re de ijs maximè, qui recētiſſimè ex iſtius iniquiſsimi Edicti præſcripto, & ex harum inſtructionum impijſsimarum formula, ſummo flagitio interempti ſunt, tanquam læſæ Maieſtatis rei, & patriæ proditores; cùm illi tamen vnius Maieſtatis diuinæ placandæ cauſa, & patriæ iuuandæ deſiderio pericula omnia & labores perferant; quo Chriſti Domini tribunali altiſsimo, iudicioque hæc reſeruanda ſunt, vt quando ei commodiſsimum videbitur, cauſam hanc vniuerſam diſcernat. Concluſio.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

INDEX
RERVM PRAECIPVARVM quæ in hoc libro continentur.

A

Accuſationis capita in Regem Catholicum. 119
Accuſatio ſtulta & ſibi non cohærens. 224
Alanus cur Romam vocetur. pag. 116
Alani Cardinalis animus erga Reginam. 374. eius inſcribendo moderatio. 375. in cunctos beneficẽtia. 377
Angli Catholici fortiter exilia & ærumnas ſuſtinent. 98. non deſerunt patriam ob inopiam. 262. non ob delicta. 263
Angli Catholici è Belgio eiecti. 131
Angli hæretici cur meritò pœnas timeant. 228. quouis tyranno aut Turca crudeliores. 352
Angli inter ſe diſsẽtiunt. 421
Angliæ calamitas à quibus proceſſerit. 16
Angliæ turbationes vnde. 70
Annæ Bolenæ matris incontinentia. 260
Antonius Kingſtonus & ſocij conſpiratores. 122
Antonius nothus ab Elizabetha factus Luſitaniæ Rex. pag. 187
Apoſtrophe ad Elizabetham. pag. 108
Arma ſumpta pro religione. pag, 56. 131
Arundelius Comes Anglorum nobiliſsimus 44. ad matrimonium cum Elizabetha fruſtra aſpirauit, 45. ab Elizabetha deluſus miſere periit. 46
Aſtutia perſequutorum diabolica. 341. 346

Baconi

B

Baconi in aulā aditus, primus conſiliarius. Sigilli regij cuſtos. 17. eius obſcura natalia. 18. eiuſdem vita, mores, & mors. 19. 20
Belgij cōmotio vnde orta. 136
Bellum apertum in Regem Hiſpaniæ. 26
Bolenorum familia. 257
Bucerus ac Petrus Martyr apoſtatæ in Angliam vocantur. 83
Buceri inconſtantia, 414

C

Caletum à Gallis quomodo captum. 127
Caluini iudicium de religione Anglicana. 410
Caluinianum miniſteriū ignominioſum. 236
Campiani & ſociorum martyrium. 346
Calumniæ hæreticorum vanæ refutantur. 301
Cardinalis Alanus auctor Apologiarum. 11. patriæ ſuæ ornamentum. 12. 254. eius familia & nobilitas. 254.
Quomodo Elizabethæ familia non multum inferior. 256. eius reſponſio ad Iuſtitiam Britannicam 315. Cur Elizabethæ inuiſus. 231. vtrum ſeditioſus. 230. 232. patriæ non ingratus. 233. eius in patriam obſeruantia. 375. in Cecilij nepotem humanus. 378
Catharina Henrici quinti vidua. 258
Catholica religio in Anglia fraude Cecilij & Baconi oppreſſa. 44
Catholicam religionem qui in Anglia euerterint. pag. 19. 43
Catholici modeſtè ſcribendo parum proficiunt. 12
Catholici in Anglia difficulter peruertuntur. 267
Catholici nomen vindicatur a calumnijs hæreticorum. 362
Catholicis crimina læſæ maieſtatis vnde primum obijci ceperint. 48
Catholicorum confœderatorum in Gallia laus & iuſtitia. 211

Catholicos in Anglia non pati ob religionem impudenter aſſeritur. 316

Cecilius intrat in aulam. 17. Ducis Somerſetani ſecretarius. 38. Dominũ ſuum prodidit. Dudlæum ſequitur. 39. eius progenies, aditus primi ad honores. 38. factus regni theſaurarius. 36. 37 eius ficta moderatio 37. Catholicum ſe finxit. 40. aditus ad Elizabetham. 42. eius conſilium de mutanda religione. 43. Duci Norfolciæ ſupplicat. 55. librum ſeditioſum contra Reginam Scotiæ emitti curauit. 52. in mortem Elizabethæ conſpirauerat. 42. Cur Angliã turbauerit. 42. Catholicorũ Aman. 57. ſecretarij officium vſurpat. 60. eius impudens calumnia refellitur. pag. 234

Cecilij iactatio ridicula de ſua nobilitate. 237. Regnũ ambire exiſtimatur. 238. 252. eius epiſtola ad exploratorem. 239

Cecilij atheiſmus. 242

Cecilius fere incorrigibilis. 245. eius ficta nobilitas. pag. 246

Cecilij maiores quinam fuerint. 247

Cecilij commenta de ſua familia. 248. mendax egregius. 301. 316. eius contradictiones. 321. eius calumnia de Alumnis ſeminariorum. 97. 261. eius ſumma nequitia. 294. timet ſeminaria. 231. eius ficta narratio euerſa. 358. eius impietas. 373. Iuliano apoſtatæ non diſſimilis. pag. 289

Cecilianæ vanitatis argumenta. 250

Cecilij nepos per Alanum, & Perſonium in Vrbe humaniter tractatus. 377

Claſsis Hiſpanica tẽporis iniuria diſsipata. 182

Cleri noui Anglicani ignobilitas. 236

Commiſſarij contra catholicos ſæuiſsimi. 347. 381

Comitia Anglicana quibus potiſsimum conſtent. 46

Concionatorum nouorum in Anglia conſuetudo. 365

Concluſionis Edicti acerbi-

tas. 385
Conditiones requiſitæ ad hæreticos principes deponendos. 198
Confeſſarij conſuetudo vnde. pag. 370
Confeſsio quàm neceſſaria. pag. 368
Coperus pſeudoepiſcopus Vvintonienſis ſutoris filius. pag. 237
Conſiliarij Elizabethæ præcipui quot. 15
Conſpiratio procerum in Cecilium, & Baconum. 50
Conſtantij Ariani ſimulata bona. 394. eius lupina opera. 395
Controuerſia de regni ſucceſſione grauiſsima. 75

D

DArlæi Scotiæ regis per Elizabetham deceptio & interitus. 162. 164
Decreta proximorum comitiorum ipſis conditoribus impia videntur. 49
Doctrina & exemplum eccleſiaſticorum hæreticorum in Anglia. 380
Doctrinam ſcholaſticam hæretici proijciunt. 287
Draci pyratæ latrocinia. 140
Ducum Anglorum, qui hæreticis fauerũt miſerrimus interitus. 205
Dudlæus comes Leceſtrenſis admittitur in aulam, fit magiſter equitum. 20. eius potentia. 26. varia fortuna. 22. eius improbitas. 23. vxoricida. 24. adulter. 25. ipſo inſtigante Reginæ Scotiæ vita eripitur. 26. eius irreligioſitas. 390. ipſius mortis cauſa. 27
Dudlæorum origo. 21
Dudlæi & patris eius in Mariam, & Elizabetham coniuratio. 20
Dudlæus & Cecilius condunt leges iniquiſsimas. 26
Dudlæi vxor ſtatim poſt viri mortem Blundo eius famulo nupſit. 28. 29
Dux Alenſonius in Angliam ſpe nuptiarũ vocatur. 187. ab Angla in Belgium mittitur. 137
Dux Norfolcienſis vana ſpe lactatur. 55

Eccleſiæ

E

Eccleſiæ in Regum negotijs dijudicandis grauitas. 188
Eccleſiaſtici catholici non conſentiunt primis comitijs,et in vincula coniÿciuntur.47
Eccleſiaſtici in Anglia beneficijs exuti. 336
Edictum Anglicanum ſceleſtiſsimum.11. eius inſcriptio refutatur. 14. ſcriba quis.59.316.illius egregia impudentia. 175
Edictum fraude atque importunitate improborum extortum. 14. a nullo Principe Chriſtiano probatur. 63. 244
Edmundus Dudlæus ab Henrico VII. damnatus, ab Henrico VIII. in crucem actus fuit. 21
Edouardi VI. & ſuorum religio. 413. eius præceptor quis. 17
Edouardus Semerus Regis protector. 38. Religionem mutat. 83
Elizabetha Angliæ Regina in bonis vitam ducere cupit. 14. ſine ratione, & exẽplo furit. 65. eius perfidia.66.ethnicorum perſequutorum imitatrix.65.cõparatur Neroni Vrbem incendenti.69.matrimonium inire contemnit. 76. Rempublicam perdere conatur. 77. ſumma eius infelicitas. 96. eius remedium contra ſacerdotes quodnam fuerit. 100. Antiocho comparatur.101.crudelior antiquis perſequutoribus. 102. eius ſolicitudo inutilis. 105. ipſius querela in Regem Hiſpaniæ.110.conatus in Seminarium Duacenum. 114. criminationes in Pontificẽ, & Regem Hiſpaniæ. 117. quomodo ſe gerat cum proximis. 151. Gallos è Scotia deturbat.159. gaudet de futuris Angliæ turbationibus.77.contra Deũ pugnat dum ſeminaria perſequitur. 99. author eſt multarũ conſpirationum in Reges Galliæ.152. cauſa quatuor bellorum ciuilium in Gallia. 154. eius conſiliarÿ

quomodo bonores conſequuntur. 14
Elizabethæ captiuitas, eiuſdemq. cauſa 120. Philippo intercedente libertate donatur. 121. ſecundo periclitatur. 122. iterum per Regem liberatur. 123. tertia eius conſpiratio 125. tertiò eripitur 126. proditio eius quarta cõtra Mariam 127. eius inſignis nequitia 128. in Philippum retributio 135. 177. latrocinia maritima. 138
Elizabetha vtrum Henrici VIII. filia 260. omnia vicina regna bellis, ſeditionibus, & furoribus impleuit 178. ex albo Principũ Belgij delere contendit Philippi nomen 186. odit ſemina ria 231. ineptè vult appellari catholica 364. eius geſta erga Scotos 157. in Regem Scotiæ ſtratagema 173 eius miſera ad effundendum ſanguinem neceſſitas. pag. 243
Elizabethæ abauus fuit homo ignobilis. 257
Elizabethæ ac Reipublicæ pericula 81. eius acta in Henricum III. Galliæ Regem 155. inuidioſa exaggeratio contra Philippum 180. calamitas ſpiritualis 371. eius metus 386. Lupinæ opera 397. ad ſuos cobortatio inanis. 422
Elmerus pſeudoepiſcopus Lõdinenſis fur. 402
Eſſexiæ comes veneno interijt. 25
Euangelij nomen apud omnes ſectas frequentiſſimũ. 403
Euangelij frequens nominatio rem ſuſpectam facit 405
Excommunicationis in Reginam latæ moderatio. 304

F.

FAutores hæreticorum malè pereunt. 204
Fœminæ condemnatæ de audita miſſa. 325
Fœminæ & pueri examinantur. 350
Fides catholica non extinguitur perſequutionibus ſed augetur. 204

G.

Gallorum officia in Eccleſiam Romanam. 224
Georgius Alanus ſanctiſsimè mortuus, cuius vxor cum tribus filiabus pro religione exulat. 255
Godmanni liber contra mulierum regimen. 86
Gregorius XIII. Seminarium Anglorum Romæ inſtituit. 115
Gregorius XIIII. quibus auxilietur, & cur. 226
Guilielmus Petrus a Cecilio deceptus. 41. 251
Guiſius Dux Seminarium Rhemenſe contra Elizabetham tuetur. 115

H.

Hameltoniorum familia in Scotia grauiter afflicta. 158
Hattonus aulam frequentat. 33. quibus artibus ad intimam Elizabethæ amicitiã admiſſus 33. Regni Cancellarius 31. Edicto reſtitiſſe dicitur 32. Reginæ magis quàm Deo placere ſtuduit 34. eius ſumma infelicitas. pag. 35
Hattono numquam licuit matrimonium inire 36. eius mors. 32
Hæreſim complures Angli in ea educati deſerunt. 266
Hæretica fraus. 49
Hæretici in primis comitijs præualẽt 47. præferunt humana diuinis. 48
Hæretici Angli Normaniam vaſtant 148. omnia perturbant, & catholici pœnas luunt 69. 70. Ethnicis crudeliores 94. nonnulla bona malis miſcere ſolent. 393
Hæreticorum mira adulatio, & nequitia. 82
Hæreticorum furor, & inconſtantia 85. eorum ferocia, magiſtratus contemptus. pag. 355
Hæreticorum fucus, & religionis ſimulatio. 387
Hayvvardorũ familia depreſſa. 207
Henrici VIII. ſenſus de hoc edicto. 64
Henrici VIII. diſſenſio ab

Elizabetha. 412
Hilarij libera locutio de Conſtantio Ariano. 9.395
Hilarius non temere vocat Cōſtantium Antichriſtum. pag. 9
Hunnerici Ariani interitus qualis. 107

I.

Iacobus nothus in Scotia occiditur. 167
Incorrigibiles an debeant admoneri. 245
Indulgentiæ, & anathemata in Eccleſiæ poteſtate. 303
Inquiſitionis forma in Anglia. pag. 382
Interrogationes ſanguinariæ, & reſponſa pacifica. 347
Ioannes Auſtriacus reuocauit Anglos in Belgium. 132
Ioannes Parottus hæreticus Hyberniæ prorex cauſam capitis dicit. 208
Ioannis Dudlæi facinora 214
Maria capite plexus. 21
Iudicij tribunal in terra. 369
Iudicij in catholicos inſignis iniuſtitia. 343
Iudiciorum in Anglia iniquitas. 339
Iudicium illuſtre xiiij. martyrum ſimul. 342
Iuliani conſequentia contra Chriſtianos. 91
Iulianica Anglorum perſequentium aſtutia. 50
Iuramenta Regum quæ. 192
Iuramentum pro Rege Scotiæ infante acceptum quale. pag. 165
Ius ciuile quid. 190
Ius Regum neque naturæ, neque gentium eſt. 191.241
Ius deponendi principes vnde. 195

L.

Laicorum in Anglia martyria. 327.331
Lenoxius interficitur in Scotia. 167
Lutheranorum iudicium de religione Anglicana. 408

M.

Magnatum Angliæ ſera pœnitentia. 50
Margarita Mideltonia martyr in Anglia. 331

Maria Regina Angliæ princeps ſanctiſsima 76. Cecilium à ſe repulit. 42. Connubium iniit ob bonum reipublicæ. 76
Maria Scotiæ Regina in custodiam contra fidem datam traditur. 52
Martyres in Anglia impiorũ humeris ad hæreticorũ conciones deportantur. 269
Maynus & alij ob pontificiam monarchiam occiſi. 333
Mendacia inſignia contra Campianum, & alios. 117
Miniſtri Anglicani ſceleratiſsimi. 264
Miniſtrorum Anglicanorum doctrina. 399. *eorum vita. pag.* 400
Mores, & vita alumnorum in Seminarijs. 273

N

NAuarræus Eccleſiæ Romanæ inimicus. 225
Nauarræus plurimis de cauſis excludendus. 189
Nicolaus Hethus Archiepiſcopus Eboracenſis propter fidem in vinculis. 331
Nicolaus Hornerus catholicus quare occiſus. 351
Nobilitatis Gallicanæ pars cur Nauarræum ſequatur. pag. 202
Nobilitatis Gallicanæ, quæ Nauarræum ſequitur pericula. 208
Norfolcienſis Ducis ingratitudo, & ruina. 206
Northumberlanus in Scotiam fugit, a Scotis proditus ac pecunia venditus eſt. 57
Nouus Chriſtus in Anglia. pag. 79
Nouus Chriſtus eiuſque prophetæ Londini comprehenduntur. 80

O

OBedientia Chriſtiana. pag. 241
Odoëni Hoptoni iniquitas in martyres. 269
Orare contemnunt hæretici. pag. 389

P

PApa auxiliatur Gallis catholicis cõtra hæreticos pag.

pag. 225
Pauli Quarti diſſenſio fuit cũ Hiſpaniarum Rege. 221
Peccatorũ confeſsio crimẽ læſæ maieſtatis in Anglia. pag. 324
Pecunia menſtrua quam catholici in Anglia ſoluunt. pag. 323
Pecunia Philippi intercepta. pag. 139
Pericula ex incerto ſucceſsionis iure. 78
Perſequutorum antiquorum potentia.67.eorũ mos.311
Perſonij animus erga Reginã 374.cur Elizabethæ inuiſus. 231. vtrum ſeditioſus. 230.232. non eſt catholici Regis confeſſarius. 361
Philippi Regis ad Angliam appulſus. 120. eius in Elizabetham varia beneficia. 126.eiuſdem in Anglos beneuolentia. 128. cum Elizabetha nimia patientia. 129. in tuendo fœdere conſtantia. 130.eius mira benignitas. 132.impulſio ad vindictam. 141.cum Gallis amicitia cõſtans. 146.piũ ſubſidium. 213.eius humilitas. 220.eius potẽtia nulli Chriſtiano principi moleſta. 181
Philippus bis terrè pro Elizabetha intercedit. 121. quomodo ſe gerat cum vicinis, & ſubditis. 143.auxilia pro Hybernis petita negat. 133.134
Philippus et Elizabetha inter ſe comparantur. 218. 142. 151
Pœna in Anglia ob auditam miſſam. 326
Pontifex Romanus accuſatur ingratitudinis. 214.224
Pontifex Rom. paternè iuuat Anglos. 226
Poteſtas ſæcularis, et eccleſiaſtica diſtincta. 305
Principes hæretici poſſunt, et debent deponi. 190.201
Procerum decretum de occidendo Cecilio. 54. Reginæ fuit patefactum. 55
Proteſtantium, & puritanorũ diſſidium. 74
Puritanorum diſſenſio. 416. 417

R

Raulei ſchola de atheiſmo. 60

Raulæo imperante quid expectandum. 61
Reges duobus iuramentis obſtringuntur, vt ſint catholici. 192
Reges non ſemper neque vbique eiſdem legibus regnarunt. 191.192
Regia poteſtas vnde ſit profecta. 192
Regum quorumdã Scotiæ exitus qualis. 174
Regina Scotiæ ab hæreticis ſuis ſubditis carceri mancipatur. 164. eius deceptio, & ruina. 161. capite plecti tur. 27.166
Regis Scotiæ natiuitas 163. eius ſacrilega inauguratio contra matrem. 165
Religio ſola Romana principibus tuenda. 194
Religionis negotium non agitur apud hæreticos Angliæ pag. 391
Religioſorum pulchra deſcriptio. 289
Rex Scotiæ in Elizabethæ poteſtatem redigitur. 174
Rex hæreticus ſub damnationis pœna non admittẽdus. pag. 211
Rex eſt Dei miniſter, & Reipublicæ protex. 193
Robertus Dudlæus ſabri nepos. 22
Romani Anglorum Seminarij initium. 116

S

SAcerdos in carcere orans magus eſſe putatur. 391
Sacerdotes Angli quare in patriam redeant. 99.297 omnia huius vitæ commoda relinquunt. 97.262. falſiſſimè accuſantur. 117
Sandeſus archiepiſcopus Eboracenſis mæchus. 432
Seminaria Anglicana qua vtilitate patriæ inſtituta. 96
Seminaria Anglorum in Hiſpania. 118
Seminarij Duaceni initium. pag. 113
Seminariorum inſtitutio, & diſciplina qualis. 272
Scotia quot, & quanta ſit ab Elizabetha perpeſſa. 168. 169
Scotorum miſeri inter ſe tumultus, & cædes. 167
Stultitia perſequutorũ in diſſimulando. 212

INDEX

T

Teſtes falſi contra Sacerdotes. 344

Thomas Staffordus clam cum Elizabetha coniurat cõtra Mariam. 125

Thomas Sherodus martyr. 328

Thomas Vriatus ab Elizabetha ad rebellionem excitatur. 121

Titulus Defenſoris fidei Henrico VIII. à Leone X. tributus. 366

Turbationes Angliæ vnde. pag. 70

Tyranni Anglicani. 423

Tyrannis Anglicana inaudita. 92

Tyrannorum ac perſequutorum exitus. 106

V

Vis doctrinæ catholicæ. pag. 265

Vniuerſitatum Anglicanarum calamitates. 284

Vniuerſitatum collegia in Anglia mulieribus referta. pag. 285

Vvalſingamus Regni Secretarius, Leceſtrio adhærebat. 29. in catholicos furioſus. 30. exploratores vbique fere nutriuit. 30. eius mores, & mors. 31

Vveſtmerlanus arma pro religione ſumpſit. 56. in Belgium ſe recepit. 57

Z

Zvinglianum dogma eligitur in Anglia. 84

Zuingliana ſecta à Lutheranis condemnatur. 408

Zuinglianorum iudicium de religione Anglicana. pag. 409

RESponſionem ad Edictum Elizabethæ Angliæ Reginæ, de menſe Nouembris Anni M. D. XCI. librum quidem integrum, in ſectionibus quinque ab Authore. R. D. Andrea Philopatro Presbytero, & Theologo Romano partitum vidi ac legi ex iniuncta mihi commiſsione à Reuerendiſsimo D. D. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici. Et exiſtimo, eorum quæ in hoc opere piè ſiquidem, & eruditè tractantur, cognitionem, eſſe toti orbi, noſtroq. ſæculo valde opportunam. Ideo, vt in lucem prodeat, conſonum atque vtile iudico. Romæ Men. Sept. die decimo octauo. An. 1592.

Franciſcus Olinonus ab Aluernia Archidiaconus.

Errata ſic corrigito.

Pag.	ver.	Mendum	Emendatio.
19	17	etinm	etiam
22	9	lectulo	in lectulo
25	13	exceptioni	expeditioni
48	10	criminis	hoc criminis
109	15	violeutam	violentam
125	14	fuis	ſuis
134	15	Alexandro	Philippo
144	9	ipfa	ipſa
147	4	læfus	læſus
182	18	negligeatia	negligentia
eadē	21	dimitttere	dimittere
197	4	ccnſtitui	conſtitui
eadē	19	tollerandi	tolerandi
199	4	religionis	religioni
200	8	Ioada	Ioiada
eadem	in margine	Leu.13	2.Par.26
207	in margine	depreſa	depreſſa
236	5	plebe ijs	plebeijs
253	23	Hacuuorthis	Haukſuuorthis
258	19	eins	eius
259	10	Ioannis	Ioannes
311	23	Conſtante	Conſtantio
336	in margine	1556	1559
383	18	prr	per
417	21	hoc loco	quod hoc loco
420	3	ſecuritatis	ſecuritatis
421	18	vſui	vſū
432	in margine	Britanorū	Britannorum
434	11	ſeueriſſimas	ſeueriſſimas
446	6	præſtaturū	præſtiturum
463	3	ercčti	erecti
467	5	anthoritas	authoritas

17 · B. [illegible]
n3